Seinem verehrten Lehrer Herrn Dr. ph. E. Wilisch

Leipzig Mai 1877

d. Verf.

DE
VULCANO IN OLYMPUM REDUCTO.

DISSERTATIO ARCHAEOLOGICA

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

RICARDUS WAENTIG
GROSS-SCHOENAVIENSIS.

LIPSIAE,
TYPIS ALEXANDRI EDELMANNI,
MDCCCLXXVII.

Multis in picturis vasariis Graecis, de quibus infra accuratius disseram, inveniuntur repraesentationes Vulcani a Baccho in Olympum reducti. Quae quamquam inter se similes sunt, tamen, si singulas picturarum partes et particulas respicimus, jam statim intellegimus ad diversa exemplaria diversas picturas compositas esse. Quamobrem operae pretium memet facturum existimo, si in hos fontes, qui in literarum et artium monumentis requirendi sunt, accuratius inquisierim atque post demonstraverim, quo modo pictores vasarii hisce fontibus sint usi. —

Fabula autem Vulcani a Baccho in Olympum reducti adjuncta est et artissime cohaeret cum fabula Vulcani ex Olympo in terram detrusi, quae eam ipsam ob causam in nostra quaestione minime negligenda videtur esse. —

Qua in regione fabula nata sit, si quaerimus, in insula Lemno, ubi Vulcanus jam antiquissimis temporibus colebatur, eam exortam esse, certis argumentis minime confirmari potest. Quod ne Prellerus[1]) quidem contendit, qui tamen putat[2])

---

1) Griech. Mythologie I³ p. 144 sq. —

2) Dicit enim Prellerus l. c. „der tiefere Grund der Fabel ist aber auch hier die Beobachtung des Naturlebens. Ueberall wächst im Süden der beste, der feurigste Wein in vulkanischen Gegenden, am Vesuv, auf Ischia, am Aetna, auf Santorino u. s. w.; daher sind Dionysos und Hephästos sehr gute Freunde, Hera aber, die Göttin der Luft, wird von Hephästos gefesselt in demselben Sinne wie Hera

in illis terris insulisque, ubi montes ignes evomentes uvas gignerent optimas, fabulae originem fuisse. Qua propter Aetna mons, Naxus. Chius, aliae insulae eodem jure afferri possunt. Hoc quidem constat poetas Atticos in Lemno insula fabulam collocasse. —

Jam fabulae Vulcani reducti apud poetas epicos adhuc superstites nulla fit mentio: dejecti tantum Vulcani fabulam tradiderunt. Quam quidem Homerus duplici modo enarravit: detruditur enim Vulcanus de Olympi limite altero loco a Jove altero loco a Junone. Juppiter autem filium in terram dejecit, quod matrem adjuvisset, ut ipse Vulcanus dicit matrem adhortatus, ut Jovi obtemperet:

Il. I, 589—594.

ἀργαλέος γὰρ Ὀλύμπιος ἀντιφέρεσθαι.
ἤδη γάρ με καὶ ἄλλοτ' ἀλεξέμεναι μεμαῶτα
ῥῖψε, ποδὸς τεταγών, ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο.
πᾶν δ' ἦμαρ φερόμην, ἅμα δ' ἠελίῳ καταδύντι
κάππεσον ἐν Λήμνῳ· ὀλίγος δ' ἔτι θυμὸς ἐνῆεν·
ἔνθα με Σίντιες ἄνδρες ἄφαρ κομίσαντο πεσόντα.

Vox *ἄλλοτε* in versu 590. respicit ad ea quae Juppiter dicit:

Il. XV, 18—24.

Athena und Apoll den Zeus fesseln wollen und wie Kronos seine Kinder verschlingt, d. h. die heisse Gluth des Sommers thut dem Himmel Gewalt an, so dass sich, wie wir zu sagen pflegen, kein Lüftchen regt. Im Frühlinge aber, wo die volle Lust des Dionysos blüht, wo Hephästos wie Horaz Od. 1, 4, 6. dichtet, die Essen der Kyklopen schürt und bei seiner heissen, alle Natur durchwärmenden Arbeit mit seinem Freunde Dionysos gelegentlich über den Durst trinkt, im Frühlinge kehren auch der Luft ihre Kräfte und Wolken wieder. Es rührt und regt sich wieder alles oben und unten und die lustigen Brüder der Hitze und des feurigen Weines kehren zurück auf den Olymp und reichen auch den Göttern frischen Wein aus goldenen Schalen." —

ἦ οὐ μέμνῃ ὅτε τ' ἐκρέμω ὑψόθεν, ἐκ δὲ ποδοῖιν
ἄκμονας ἧκα δύω, περὶ χερσὶ δὲ δεσμὸν ἴηλα
χρύσεον ἄρρηκτον; σὺ δ' ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσιν
ἐκρέμω· ἠλάστεον δὲ θεοὶ κατὰ μακρὸν Ὄλυμπον,
λῦσαι δ' οὐκ ἐδύναντο παρασταδόν· ὃν δὲ λάβοιμι,
ῥίπτασκον τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ, ὄφρ' ἂν ἵκηται
γῆν ὀλιγηπελέων·

Haec fabulae ratio mihi quidem esse videtur vetustior. Posterioribus demum temporibus, cum fabula Junonis a Vulcano religatae ad fabulam Vulcani annecteretur, argumentum paullum commutabatur: ut enim ultionis causam afferrent, propter quam Vulcanus matrem in solio religasset, poetae fingebant Junonem filium suum in Naxum insulam detrusisse et eam quidem ob causam quod claudus fuisset[1]). Quae fabulae conversio est posterior: Thetidi enim dicit *περικλυτὸς ἀμφιγυήεις·*

Il. XVIII, 394—399.

Ἦ ῥά νύ μοι δεινή τε καὶ αἰδοίη θεὸς ἔνδον
ἥ μ' ἐσάωσ', ὅτε μ' ἄλγος ἀφίκετο τῆλε πεσόντα
μητρὸς ἐμῆς ἰότητι κυνώπιδος, ἥ μ' ἐθέλησεν
κρύψαι χωλὸν ἐόντα· τότ' ἂν πάθον ἄλγεα θυμῷ,
εἰ μή μ' Εὐρυνόμη τε Θέτις θ' ὑπεδέξατο κόλπῳ
Εὐρυνόμη, θυγάτηρ ἀψορρόου Ὠκεανοῖο.

Alteram autem Homeri fabulae conceptionem cum altera mirum quantum Plato confudisse videtur, cum de Homero in puerorum eruditione adhibendo verba faciens nostram fabulam illis annumerat, quas pueris narrandas esse non censet. Affert[2]) enim Junonis religationem a Vulcano

1) Quibus de causis assentiri non possum Welckero (Götterlehre I, 659) qui dicit vetustiorem fabulam esse eam, ex qua Vulcanus ex Junone sola procreatus sit. —

2) Plato Res publ. II. pg. 378. D. *Ἥρας δὲ δεσμοὺς ὑπὸ υἱέος καὶ Ἡφαίστου ῥίψεις ὑπὸ πατρὸς κ. τ. λ.* —

factam; cujus rei causa in eo continebatur, quod Vulcanus dejectus esset in terram a Junone. Nihilominus autem a Jove dejectum Vulcanum Plato dicit. —

Aliis poematum epicorum, quatenus servata sunt, locis nostrae fabulae non fit mentio, neque apud Homerum neque apud Hesiodum neque quantum scimus in carminibus epici cycli. In hymno autem in Apollinem Pythium fabula eodem modo affertur quo in Iliadis libro duodevicesimo; versus autem sunt mutilati[1]):

138. *αὐτὰρ ὅγ᾽ ἠπεδανὸς γέγονεν μετὰ πᾶσι θεοῖσι*
παῖς ἐμὸς Ἥφαιστος, ῥικνὸς πόδας, ὃν τέκον αὐτή.

* * *

ῥίψ᾽ ἀνὰ χερσὶν ἑλοῦσα καὶ ἔμβαλεν εὐρέϊ πόντῳ·
ἀλλά ἑ Νηρῆος θυγάτηρ Θέτις ἀργυρόπεζα
δέξατο καὶ μετὰ ᾗσι κασσιγνήτῃσι κόμισσεν.

Fuisse autem poetas epicos qui comicorum more fabulam Vulcani reducti tractassent equidem concluserim ex repraesentatione ea, quae est in vase Clitiae et Ergotimi („Françoisvase“) picta. Nam viri docti[2]) jam demonstraverunt aliarum omnium repraesentationum fontes, ex quibus Ergotimus hauserit, in carminibus fuisse epicis: neque ullo pacto intellegitur cur in pingenda unica scaena tam parva et tam secundaria ad alium fontem recurrerit. —

Ad poetas lyricos transeamus. Nemo est qui neget fere omnia quae de fabula in poesi lyrica tractata comperta habeamus incerta esse, cum poetarum lyricorum opera maxima ex parte deperdita sint, duo autem versus servati, alter Alcaei alter Sapphus, carminum ignotorum

---

1) cf. A. Baumeister, Hymni Homerici. II. *Εἰς Ἀπόλλωνα Πύθιον* v. 138 sqq. —

2) cf. O. Gerhard, Archäol. Zeitg. 1849. VII. pag. 278. Birch, Bull. dell' Inst. 1850 pg. 8. — O. Jahn, Einleit. i. d. Vasenkunde pg. CLII sqq. —

fragmenta quaedam abrupta. Quorum poetarum verba insuper mutilata vel depravata in codicibus leguntur; attamen a viris doctis recte videntur esse correcta. Bekkerus enim illa quae affert Apollonius Dyscolus[1]) Alcaei[2]) *ὥστε θέων μηδέν' Ὀλυμπίων λυσεατεργεθεν* sic legit: *ὥστε θέων μηδέν' Ὀλυμπίων λῦσαι ἄτερ ϝέθεν,* qua ratione digamma (*ϝ*), de quo verba facit grammaticus, restitutum videtur loco aptissimo. Qua emendatione comprobata si ad nostram fabulam refertur Alcaei versus, hoc quidem constat, poetam Lesbium miram Vulcani artem qua vincula Junonis fabricavisset carmine celebrasse. Vulcanum autem a Baccho in Olympum reductum, ut ibi Junonem solveret, eum cecinisse minime elucet. — Eodem fere modo res sese habet in Sapphus[3]) versu a Prisciano[4]) sic tradito: *ο δαρευς φαισει. κεναφεστον αγειν βεια.* Neuii, Hermanni, Bergkii correcturis probatis legendum est hoc modo: *Ὁ δ' Ἄρευς φαῖσί κεν Ἄφαιστον ἄγην βίᾳ.* Sappho ergo certamen inter Martem et Vulcanum factum commemorasse patet, sed, dixeritne etiam in eodem carmine Vulcanum a Baccho in Olympum reductum, demonstrari nullo modo potest. — Maxima autem dubitatio est de Stesichoro, cujus mentio fit in scholio Veneto (*A*) ad Il. *Ψ*, 92. *Διόνυσος Ἥφαιστον γενόμενον ἐν Νάξῳ μιᾷ τῶν Κυκλάδων ξενίσας, ἔλαβε παρ' αὐτοῦ δῶρον χρύσεον ἀμφορέα. διωχθεὶς δὲ ὕστερον ὑπὸ Λυκούργου καὶ καταφυγὼν εἰς θάλασσαν, φιλοφρόνως αὐτὸν ὑποδεξαμένης Θέτιδος, ἔδωκεν*

---

1) de pron. 358. B *Σαφὲς ὅτι καὶ τὸ Αἰολικὸν δίγαμμα ταῖς κατὰ τὸ τρίτον πρόσωπον προςνέμεται, καθὸ καὶ αἱ ἀπο φωνήεντος ἀρχόμεναι δασύνονται. Ἀλκαῖος. Ὥστε κ. τ. λ.* —

2) cf. Bergk., poetae lyrici Graeci ed. 3a pg. 934. frgm. 11. —

3) cf. Bergk. l. c. pg. 898. frgm. 66. —

4) ed. Hertz VI, 92. E contra tamen in quibusdam ēs productum terminantibus Graeci poetae eūs pro ēs proferentes ..... *Ἀρεύς*, pro *Ἄρης* ut Sappho: *οδαρευς κ. τ. λ.* —

αὐτῇ τὸν ἡφαιστότευκτον ἀμφορέα. ἡ δὲ τῷ παιδὶ ἐχαρίσατο, ὅπως μετὰ θάνατον ἐν αὐτῷ αὐτοῦ ἀποτεθῇ τὰ ὀστᾶ. ἱστορεῖ Στησίχορος. Amicitiam magnam inter Vulcanum et Bacchum fuisse hac ex adnotatione scholiastae sequitur, fabula reductionis ipsa non affertur. Paullo autem veri est similius Pindarum tractasse fabulam istam, atque hoc ea de causa, quod Photio et Suida[1]) auctoribus comperimus poetam illum fabulam Junonis a filio religatae versibus persecutum esse. Fortasse illam fabulae versionem protulerat, ex qua non Juppiter sed Juno Vulcanum ab Olympo monte detruserat. Fieri enim potuit, ut Pindarus diceret propter claudicationem filium ab Junone dejectum esse, claudum autem atque debilem eum fuisse quod Juno sola Jove spreto filium procreasset, praesertim cum illud, quod Plutarchus[2]) de Pindaro tradidit huc referri possit; qui dicit secundum Pindarum Junonem filium *ἄνευ χαρίτων* peperisse. Pindari autem Plutarchus mentionem facit, ut demonstret vocem *χάριτες* usurpari eo sensu quo amoris gratia („Liebesgunst"). Ceterum utrum Pindarus magis celebraverit Vulcanum, qui matrem vinxisset, an Junonem, quae a nullo nisi ab ejus filio vinciri potuisset, nullo modo explorari potest. —

Jam de poetis scaenicis expono.

Ut temporum ordinem servemus, Siculorum comoedia priore loco afferenda est, altero loco drama Atticorum

---

1) s. v *Ἥρας δὲ δεσμοὺς ὑπὸ υἱέο Πλάτων Πολιτείας β' οὕτω γραπτέον παρὰ Πινδάρῳ γὰρ ὑπὸ Ἡφαίστου δεσμεύεται ἐν τῷ ὑπ' αὐτοῦ κατασκευασθέντι θρόνῳ· ὅ τινες ἀγνοήσαντες γράφουσιν ὑπὸ Διὸς καί φασι δεθῆναι αὐτὴν ἐπιβουλεύσασαν Ἡρακλεῖ. Κλήμεντος ἡ ἱστορία· καὶ παρ' Ἐπιχάρμῳ ἐν Κωμασταῖς ἢ Ἡφαίστῳ.* —

2) Amatorius pg. 571 C (cf. Duebner, Plut. Moralia tom. II.) *Χάρις γὰρ οὖν, ὦ Πρωτόγενες, ἡ τοῦ θήλεος ὕπειξις τῷ ἄρρενι κέκληται πρὸς τῶν παλαιῶν· ὡς καὶ Πίνδαρος ἔφη τὸν Ἥφαιστον ἄνευ χαρίτων ἐκ τῆς Ἥρας γενέσθαι.* —

satyricum. — O. Muellerus[1]) primus titulum comoediae Epicharmeae in Suidae[2]) lexico servatum ad nostram fabulam rettulit. Welckerus[3]), Grysarus[4]), Bernhardius[5]), A. Lorenzius[6]) jure Muellerum secuti sunt. Alio vero loco Muellerus[7]) de argumento comoediae sic conjecit: „ein (drittes) Stück, Hephaistos oder die Zechbrüder, stellte den Streit des Feuergottes mit seiner Mutter Hera gewiss ganz als einen Familienzwist vor, der auf die lustigste Weise dadurch beendet wurde, dass Bacchus den aufgebrachten Sohn, der in seinem Zorn den Olymp verlassen, zu einem grossen Zechgelage lud und, nachdem er ihn gehörig trunken gemacht, in einem rauschenden Triumphzuge nach dem Olymp zurückführte.“ Quae argumenti expositio mihi quidem omnino probanda videtur. Muelleri autem interpretatione illius tituli commotus Welckerus[8]) statuit Achaeum, tragicum Atticum in dramate satyrico cujus titulum —*Ἥφαιστος* — nonnullosque versus servatos Athenaeo[9]) debemus, idem fere protulisse argumentum atque Epicharmum in comoedia quae *Ἅφαιστος ἢ Κωμασταί* inscribitur. Quam Welckeri conjecturam elegantissimam Urlichsius[10]) comprobans frag-

---

1) Dorier II, 354 sq. —

2) s. v. *Ἥρας δὲ δεσμοὺς ὑπὸ υἱέος Πλάτων Πολιτείας β᾽* . . . . . *καὶ παρ᾽ Ἐπιχάρμῳ ἐν Κωμασταῖς ἢ Ἡφαίστῳ.* —

3) O. Muelleri enchiridion archaeologiae tertiis curis recens. 367, 3. —

4) de Doriensium comoedia pg. 73 sq. —

5) s. v. „Epicharm“ in Erschii et Gruberi encyclop. univers. tom. 35, pg. 350. n. 25. —

6) Leben und Schriften des Koers Epicharm. Berlin 1864. pg. 137 sqq. —

7) Griech. Literat. Gesch. I, pg. 265. —

8) Nachträge zur Aeschyleischen Trilogie pg. 300. —

9) XIV, 641. D. *Ἀχαιὸς ἐν Ἡφαίστῳ σατυρικῷ· θοινῇ σε πρῶτον κ. τ. λ.* —

10) Achaei Eretriensis quae supersunt collecta et illustr. Diss. Bonnae 1834. pg. 53 sq. —

menti servati habita ratione copiose explicavit, quomodo instituta fuerit Achaei fabula. Versus autem apud Athenaeum Bacchi et Vulcani colloquium praebent et sic leguntur[1]):

Bacch. *θοίνῃ σε πρῶτον τέρψομεν. πάρεστι δέ.*
Vulc. *τὸ δεύτερον δὲ τῷ με κηλήσεις τρόπῳ;*
Bacch. *μύρῳ σε χρίσω πάμπαν εὐόσμῳ δέμας.*
Vulc. *ὕδωρ δὲ νίψαι χεῖρας οὐ πρόσθεν δίδως;*
Bacch. *ναί· καὶ τράπεζά γ᾽ ἐκποδὼν ἀπαίρεται.*

Neque abnuerim, non inepte sed apposite excogitata esse quae Urlichsius[2]) profert. — Post Grysarum Lorenzius de argumento comoediae Epicharmeae verba fecit uberiora. Muelleri sententiae eum maximam partem sequi jam supra commemoravi. Minus autem congruit Welckerus cum Urlichsio, qui reductionem irati dei in Achaei dramate satyrico factam judicavit esse dolo Bacchi, qui callide dissimula-

1) cf. Nauck, Tragicorum Graecor. fragm. pg. 582. fragm. 16. —
2) l. c. pg. 59 sq. Verba ejus haece sunt: „Scena in Lemno insula in Vulcani officina est. Adveniunt Satyri laetissimo agmine, quos sequitur Bacchus. Primo miratur Vulcanus, etiam num, quum iam plures deorum nuntios, in quorum numero Martem fuisse supra coniecimus, repudiaverit, novos semper hospites eum tentare, ut redeat, quod se nullo modo facturum esse strenue confirmat. Bacchus autem, salutato prius amico, non id agi, inquit, ut redeat Vulcanus, sed eo potius consilio id a se iter cum tanto comitatu susceptum esse, ut familiarem suum quovis modo hilarem reddat. Atque se ipsum taedio Olympicae miseriae ad veterem hospitem confugisse. Illic enim nil esse quam rixas, turbas, taedium; simulque, quam misere nunc in Olympo vivatur, festive describit. Quo nuntio exhilaratus Vulcanus se ita inimicos ultum esse laetatur. Olympicorum miseriam Satyri quoque fortasse choro cecinerunt. Tum Bacchus eum ad epulas invitat, quas initio quidem satis tergiversanter Vulcanus accipit, quaerens, quid tandem sibi Bacchus ministrari velit. Ille lautissimas epulas pollicetur. Ex hoc colloquio versus, qui nobis servati sunt, petiti videntur. Epulae parantur, Satyrorum cantibus ornatae. In quibus quum Vulcanus ebrius factus est, quasi per pompam, quae post convivium agatur, asino impositus proficiscitur. Satyri sequuntur, Bacchi astutiam laetissimis carminibus celebrantes. —

visset, quae vera esset causa, cur hospes venisset. Welckerus enim majorem vim tribuit personae jocosae atque ridiculae, qualem Vulcanus in Olympo praebuisset secundum Epicharmi comoediam, his verbis[1]): Recht gut ist die Voraussetzung, dass die Olympier ihren Spassmacher vermissten und den Dionysos abschickten, um ihn zurückzuholen; und darin liegt allerdings eine sehr komische Umdrehung der Verhältnisse, dass Hephaistos, der im ernsthaften Mythos zur Strafe aus dem Olymp gestürzt wird, hier nach dem Himmlischen gar nicht verlangt, sondern sichs auf Erden recht gut gefallen lässt und sich weigert zurückzukehren, so dass die Götter den Dionysos und durch ihn vielleicht das Mittel, welches bei dem alten Weinschenken nicht fehlschlagen konnte, zu Hülfe zu nehmen genöthigt waren.“ Haud scio an non inutile sit novam addere his conjecturis; hoc autem per se patet, drama satyricum Achaei si eo modo, quem Urlichsius protulit, institutum fuit, ab illis Siculorum comoediis, quas nostro sermone „Travestien“ appellamus, fere nullo modo diversum fuisse. Achaeus igitur pro imitatore Epicharmi habendus est qui comoediam illius Atticorum dialecto, urbanitati, ingenio accomodaverit. Epicharmi est meritum quod fabulam Vulcani primus in scaenam induxit. Titulus autem *Κωμασταί* invenitur praeterea apud quattuor poetas comicos, apud Amipsiam, Phrynichum, Eubulidem, Philippum. Ex quibus sitne unus vel alter imitatus Epicharmum, dijudicari non potest. Attamen inter omnes viros doctos constat omnes comicos, qui in Italia inferiore floruerint, Epicharmum aemulatos esse[2]). Qua propter fieri potuit ut fabula *Ἄφαι-*

1) Kleine Schriften I. pg. 293 sq. —

2) cf. Hor. Epist. II, 1, 58. Dicitur Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi. —

στος ἢ Κωμασταί aliquoties a phlyacographis Italis paucis rebus fortasse commutatis rescriberetur. —

Fabula Vulcani dejecti et in Olympum reducti quomodo ab scriptoribus posteriorum temporum tractata sit, copiosius exponere hujus loci non est, quoniam ad nostram rem illi tantum scriptores veteres pertinent, ex quorum libris vascularii hauserunt. Quamobrem satis erit haec afferre. Jam Hyginus[1]) sic loquitur: Vulcanus Jovi ceterisque diis solia aurea ex adamante cum fecisset, Juno cum sedisset subito in aëre pendere coepit. Quod cum ad Vulcanum missum esset, ut matrem quam ligaverat solveret, iratus quod de coelo praecipitatus erat negat se matrem ullam habere. Quem cum Liber pater ebrium in concilio deorum adduxisset, pietati negare non potuit: tum optionem a Jove accepit etc. —

Neque copiosiora sunt verba Apollodori[2]): *Ἥρα δὲ χωρὶς εὐνῆς ἐγέννησεν Ἥφαιστον· ὡς δὲ Ὅμηρος λέγει, καὶ τοῦτον ἐκ Διὸς ἐγέννησε. ῥίπτει δὲ αὐτὸν ἐξ οὐρανοῦ Ζεὺς Ἥρᾳ δεθείσῃ βοηθοῦντα· ταύτην γὰρ ἐξεκρέμασε Ζεὺς ἐξ Ὀλύμπου χειμῶνα ἐπιπέμψασαν Ἡρακλεῖ, ὅτε Τροίαν ἑλὼν ἔπλει. πεσόντα δὲ Ἥφαιστον ἐν Λήμνῳ καὶ πηρωθέντα τὰς βάσεις διέσωσε Θέτις.* —

Tum Pausaniam[3]) obiter tantum fabulam nostram commemorare non est cur miremur; dicit enim haec: *Λέγεται δὲ καὶ τάδε ὑπὸ Ἑλλήνων, ὡς Ἥρα ῥίψαι γενόμενον Ἥφαιστον, ὁ δέ οἱ μνησικακῶν πέμψαι δῶρον χρυσοῦν θρόνον ἀφανεῖς δεσμοὺς ἔχοντα· καὶ τὴν μὲν ἐπεί τε ἐκαθέζετο δεδέσθαι, θεῶν δὲ τῶν μὲν ἄλλων οὐδενὶ τὸν Ἥφαιστον ἐθέλειν πείθεσθαι, Διόνυσος δέ, μάλιστα γὰρ*

---

1) ed. Maur. Schmidt Jenae 1874. fab. CLXVII. —

2) I, 3, 5. —

3) I, 20, 2 cum picturam in templo Bacchi Athenis fabulam repraesentantem vidit. —

ἐς τοῦτον πιστὰ ἦν Ἡφαίστῳ, μεθύσας αὐτὸν ἐς οὐρανὸν ἤγαγε. –

Novissime — quarto saeculo p. Ch. n. — tradita sunt a Libanio[1]) haec: *ποιεῖ δὲ καὶ θρόνον τῇ μητρὶ δῶρον, ἀφανεῖς ἔχοντα δεσμούς, καὶ πέμπει. καὶ ἡ μάλα τε ἥσθη τῷ δώρῳ καὶ καθιζάνει καὶ ἐδέθη καὶ ὁ λύσων οὐκ ἦν. βουλὴ δὲ γίγνεται, θεῶν περὶ τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀναβάσεως Ἡφαίστου· μόνον γὰρ ἐκεῖνον καὶ λῦσαι. σιγώντων οὖν τῶν ἄλλων καὶ ἀπορούντων Ἄρης ὑπισχνεῖται καὶ ἐλθὼν πράττει μὲν οὐδὲν, αἰσχρῶς δὲ ἀπαλλάττεται πυρσοῖς αὐτὸν δειματώσαντος Ἡφαίστου*[2]). —

Quibus ex veteribus artium monumentis fabulam Vulcani dejecti atque in Olympum reducti cognoverimus, exponitur. —

Fabulae repraesentationum omnium, quas cognitas habemus, vetustissima[3]) ultimam scaenam praebebat, Junonis religatae solutionem. Fuit anaglyphum aeneum Spartae in templo Minervae quae *Χαλκίοικος* appellabatur. Cujus operis artifex quin fuerit Gitiadas[4]), a quo templum aedificatum esse Pausanias narrat, non est cur dubitemus. Jam unum ex anaglyphis ex heroum et deorum fabulis

---

1) I. pg. 1099 ex rec. Reiskii. — cf. O. Jahn, Archaeol. Zeitg. XI. 1853. pg. 167. —

2) Quae sequuntur verba mutilata a viris doctis nondum correcta sunt: *ταλαιπωρουμένης δὲ * μετὰ οἴνου Διόνυσος, και διὰ μέθης εἶχεν Ἥφαιστον ἑπόμενον. ὁ δὲ ἐλθὼν καὶ τὴν μητέρα * Διόνυσον. ἡ δὲ αὐτὸν ἀμειβομένη πείθει τοὺς οὐρανίους θεοὺς ἕνα τῶν οὐρανίων θεῶν καὶ Διόνυσον εἶναι.* —

3) Hic non est locus quaestionis quo tempore fuerit Gitiadas, qua de re archaeologi non consentiunt. Atque si re vera Gitiadas multum post Ol. LX. floruisset — quod vult Brunnius (Gesch. d. griech. Künstler I. pg. 52 sq. cf. Bursian, Ersch u. Grubers Encycl. tom. 82. pg. 410) — hoc ad nostram rem nullo modo pertineret. —

4) cf. Overbeck, Gesch. d. griech. Plastik, I. pg. 80 sq. —

desumptis — quae templi parietibus adfixa fuisse mihi persuasum est — Pausanias[1]) his verbis describit..... *καὶ Ἥφαιστος τὴν μητέρα ἐστὶν ἀπολύων τῶν δεσμῶν.* Quae verba tam plana et dilucida sunt, ut credere liceat nullam fabulae scaenam repraesentatam fuisse nisi Junonis solutionem; refellendus igitur sit, si quis dicat Pausaniam, ut totius fabulae (Mythencyclus) repraesentationem significaret, ultimam tantum scaenam attulisse. Nam ex iis quoque, quae de Perseo narrantur unum tantum factum erat repraesentatum in anaglypho altero a Gitiada ex aere perfecto, de quo periegeta subinde sic loquitur: *Περσεῖ δ' ἐς Λιβύην καὶ ἐπὶ Μέδουσαν ὡρμημένῳ διδοῦσαι νύμφαι δῶρά εἰσι κυνῆν κα τὰ ὑποδήματα, ὑφ' ὧν οἰσθήσεσθαι διὰ τοῦ ἀέρος ἔμελλεν.* — Quomodo autem anaglypha facta singulaeque figurae compositae fuerint, nec statuere nec conjicere ullo modo possumus, quoniam nulla nobis servata sunt ejusdem temporis monumenta, quibus utamur in explananda ratione et compositione anaglyphorum. — Alterum monumentum, quod huc pertinet, est anaglyphum in solio Apollinis Amyclaei a Bathycle Magnesio[2]) factum. Cujus operis notionem nulli nisi Pausaniae debemus, qui tamen hoc loco[3]) verbis minus certis utitur: *πεποίηται .... καὶ τὰ λεγόμενα ἐς Ἥραν ὡς ὑπὸ Ἡφαίστου δεθείη.* Religandae autem vel religatae Junoni Vulcanus adesse non potuit, quoniam ex Olympo in Naxum insulam dejectus erat, unde solium cum vinculis caecis Junoni misit. Quamobrem in anaglypho videtur Junonis figura sola fuisse. Atqui a Pausania loco laudato nullae afferuntur imagines nisi quae plurimas figuras praebeant

1) III, 17, 3. —
2) cf. Overbeck l. c. I. pg. 81 sq. —
3) Pausan. III, 18, 16. —

maxima ex parte certamina atque raptus repraesentantes.[1]) Quare omnino comprobandum est quod Overbeckius[2]) anaglyphorum repraesentationes enumerans sic dicit: „Hera von Hephaest gefesselt und wahrscheinlich Ares fuer sie kaempfend." Sic enim novam certaminis scaenam habemus, quae cum ceteris anaglyphis congruat, quae praeterea non solum in fabula narratur, sed etiam a Pausania designatur verbis: *τὰ λεγόμενα ἐς Ἥραν.* — Haece duo opera artis archaicae fortasse uno et eodem tempore, circa olympiadem LX. facta sunt. Contra in dubium vocatum est tempus, quo opus effectum sit illud, quod tertio loco afferendum est: pictura in vetustiore Bacchi templo Atheniensium. Picturarum in hoc templo positarum repraesentationes periegetarum more paucis tantum verbis describit Pausanias. Qui, postquam ex prytaneo per tripodum viam usque ad theatrum pervenit, dicit[3]): *Τοῦ Διονύσου δέ ἐστι πρὸς τῷ θεάτρῳ τὸ ἀρχαιότατον ἱερόν. δύο δέ εἰσιν ἐντὸς τοῦ περιβόλου ναοὶ καὶ Διόνυσοι, ὅ τε Ἐλευθερεὺς καὶ ὃν Ἀλκαμένης ἐποίησεν ἐλέφαντος καὶ χρυσοῦ. γραφαὶ δὲ αὐτόθι Διόνυσός ἐστιν ἀνάγων Ἥφαιστον ἐς οὐρανόν. Λέγεται δὲ καὶ τάδε ὑπὸ Ἑλλήνων, ὡς Ἥρα ῥίψαι γενόμενον Ἥφαιστον, ὁ δὲ οἱ μνησικακῶν πέμψαι δῶρον χρυσοῦν θρόνον ἀφανεῖς δεσμοὺς ἔχοντα· καὶ τὴν μὲν ἐπεί τε ἐκαθέζετο δεδέσθαι, θεῶν δὲ τῶν μὲν ἄλλων οὐδενὶ τὸν Ἥφαιστον ἐθέλειν πείθεσθαι, Διόνυσος δέ, μάλιστα γὰρ ἐς τοῦτον πιστὰ ἦν Ἡφαίστῳ, μεθύσας αὐτὸν ἐς οὐρανὸν*

---

1) Paus. III, 18, 15. *Κάλαϊς δὲ καὶ Ζήτης τὰς Ἁρπυίας Φινέως ἀπελαύνουσιν. Πειρίθους τε καὶ Θησεὺς ἡρπακότες εἰσὶν Ἑλένην, καὶ ἄγχων Ἡρακλῆς τὸν λέοντα. Τιτυὸν δὲ Ἀπόλλων τοξεύει καὶ Ἄρτεμις. Ἡρακλέους τὲ προς Ὄρειον Κένταυρον μάχη πεποίηται καὶ Θησέως πρὸς Ταῦρον τὸν Μίνω. πεποίηται καὶ ἡ πρὸς Ἀχελῷον Ἡρακλέους πάλη, καὶ τὰ λεγόμενα ἐς Ἥραν κτλ.* —

2) l. c. pg. 84. —

3) I, 20, 2. —

ἤγαγε. ταῦτά τε δὴ γεγραμμένα εἰσὶ καὶ Πενθεὺς καὶ Λυκοῦργος ὧν ἐς Διόνυσον ὕβρισαν διδόντες δίκας, Ἀριάδνη καθεύδουσα καὶ Θησεὺς ἀναγόμενος καὶ Διόνυσος ἥκων ἐς τῆς Ἀριάδνης τὴν ἁρπαγήν. — Manifestum ergo est duorum Bacchi templorum ad meridianam arcis Athenarum partem spectantibus in Lenaeo[1]) agro sancto vetustius illis picturis ornatum fuisse. Quo in templo Anthesteria celebrabantur et caerimonia[2]) sacrosancta rei publicae causa agebatur. Çelebratum autem esse Bacchum his diebus festis deum herbarum et plantarum revirescentium Gerhardus[3]) plane demonstravit. Attici enim agebant Anthesteria — ut Prelleri[4]) verbis utar — „mit einer Lust, die noch zwischen den Gefuehlen und Genuessen des Winters und denen des Fruehlings getheilt war.“ Quamobrem ab his veris diebus festis minime abhorrebant argumenta tabularum, quae Jahnius[5]) scite interpretatus est. Ex quattuor enim picturis in templo Bacchi collocatis duae repraesentabant Bacchum superantem procellas hibernas terram Atticam vastantes [Pentheum — Lycurgum] altera duo deum vere terram fecundam reddentem [Vulcanum in Olympum reductum[6]) — Ariadnen]. Apparet autem in templi parietibus tabulas inter se hoc modo respondisse, ut

1) cf. Mittelhaus, de Baccho Attico. Diss. Vratislav., 1870. pg. 31 sq. —

2) cf. Mittelhaus l. c. p. 32. Notitia quam debemus Demostheni (c. Neaer. pg. 1371 § 76 et 78) fuisse hoc templum semper clausum nisi diebus festis Anthesterion verane sit, nescimus. Rem antiquioribus tantum temporibus ita sese habiusse, postea autem, cum tabulae pictae in templo positae essent populo semper spectaturo fuisse apertum templum mihi videtur veri simillimum. An fuerunt positae tabulae in porticu templi? —

3) Ueber die Anthesterienfeier, Ber. d. Berl. Akad. d. Wiss. 1858. —

4) Griech. Mythol. I³. pg. 554. —

5) Annali dell' Inst. 1851. XXIII. pg. 287. —

6) Jahnius l. c. rectissime dicit: Nella primavera però i temporali

1) Vulcanus reductus,
2) Pentheus castigatus,
3) Lycurgus castigatus,
4) Ariadne subducta,

positi essent.

Pictorem pariter atque poetam, qui in hymno fabulam tractaret, eam severa ratione componere debuisse per se patet. — Quis autem fuerit, qui tabulas in templo Bacchi pinxit, nobis traditum non est. Difficile ergo demonstratur cui aetati tabulae tribuendae sint. Jam Overbeckius[1]) quaesivit, sintne tabulae istae Polygnoti aetate pictae; quod a vero omnino abesse non videtur. Bacchi enim statua ab Alcamene facta in vetustiore Bacchi templo posita erat: patet ergo — si temporis rationem habemus quo Alcamenes floruit — templum circa olympiadem LXXXV. maxima quidem ex parte constructum fuisse, neque multo post tabulae in templo pictae esse possunt. Recentioribus vero temporibus tribuit picturas Helbigius[2]) his locutus: „das dramatische Pathos, welches Scenen wie die Strafe des Pentheus und des Lykurgos mit sich brachten, weist darauf hin, dass dieselben nicht eher gemalt wurden als bis Zeuxis und Parrhasios die Individualitaet in der Malerei emancipirt hatten. Andrerseits duerfen wir kaum annehmen, dass in Athen monumentale Malereien von solcher Bedeutung spaeter als gegen Ende des vierten Jahrhunderts ausgefuehrt wurden.“ Quae sagaciter inventa videntur. Quamobrem

---

fertilizzanti sono frequenti nei paesi meridionali: Dioniso riconduce Vulcano nell' Olimpo. Et Prellerus l. c. pg. 144 „im Fruehlinge kehren auch der Luft ihre Kraefte und ihre Wolken wieder. Es ruehrt und regt sich wieder alles oben und unten, und die lustigen Brueder der Hitze und des feurigen Weines kehren zurueck auf den Olymp und reichen auch den Goettern frischen Wein aus goldenen Schalen.“

1) Schriftquellen zur Gesch. d. bild. Kuenste b. d. Griechen No. 1126: „Athenische Gemaelde viell. dieser Periode.“ —

2) Untersuchungen üb. d. campan. Wandmalerei pg. 256 sq. —

si praeterea rationem habemus eorum, quae Overbeckius protulit, tabularum picturae secundo vel primo decennio quarti saeculi a. Ch. n. tribuendae sunt. —

Jam reductionem solam repraesentatam fuisse e Pausaniae verbis et e tabularum responsione elucet. Attamen Pausanias non dicit, imposueritne Bacchus Vulcanum asino; quod mihi quidem persuasum est, cum Aelius Aristides[1]) fabulam laudans certis verbis asini mentionem faciat. — Ebrium autem Bacchum repraesentatum fuisse a ratione picturae in templo positae qua deus ipse celebraretur, omnino abhorret. Contra Vulcanum ebrium fuisse Pausanias[2]) suis verbis dicit; sed hominis quasi divino afflatu incitati speciem potius quam ebrii praebuisse Vulcani figuram equidem puto, qualem quidem figuram in picturis vasariis, quae huc referenda sunt (**M, N, O, P**)[3]), videbimus. —

Omnes autem fabulae fontes, poëticos dico et qui in artium monumentis insunt, quinque scaenas primarias fabulae videntur continuisse

1) Vulcanum in Naxum insulam dejectum[4]),
2) Junonem religatam,
3) Vulcanum cum Marte pugnantem,
4) Vulcanum a Baccho in Olympum reductum,
5) Junonem a Vulcano solutam.

At in picturis vasariis duae tantum scenae repraesentatae sunt:

1) Martis cum Vulcano certamen,

---

1) rec. Dindorf. pg. 29 *καὶ μὴν καὶ τὴν Ἥραν λέγουσιν ὡς μόνος θεῶν τῷ υἱεῖ διήλλαξε κομίσας τὸν Ἥφαιστον ἄκοντα εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ταῦτάγε ἀναθεὶς ὄνῳ.* —

2) I, 20, 2 *Διόνυσος δὲ .... μεθύσας αὐτὸν ἐς οὐρανὸν ἤγαγε.* —

3) cf. indicem picturarum vasculariarum qui subsequitur. —

4) Haec scaena in uno tantum monumento servato repraesentata est, in anaglypho Berolinensi cf. Gerhard, Ant. Bildwerke I, 81. 6. —

2) Vulcanus a Baccho in Olympum reductus bacchico thiaso comitante.

Jam emunero picturas vasarias quadraginta tres:

Scaena prima: Martis cum Vulcano certamen.

A. Adversa crateris pars, qui Barii repertus nunc in museo Britannico servatur; expressa apud Mazocchi tab. Heracl. p. 138. Hancarville III, pl. 108. Passeri tab. CCLV. Millin, Gall. Myth. XIII, 48. Elite Céram. I, 36. Mueller-Wieseler, Denkm. II, 18. 195 (ubi inscriptiones omissae sunt), Wieseler, Buehnenwesen IX, 14. — cf. O. Jahn, Archaeol. Zeitg. 1853. XI. pg. 167 sq. Bluemner, de Vulcani in veter. artium monum. figura pg. 26 sq. — In averso crateris latere respondent duae feminae cum attributis bacchicis. —

Scaena altera: Vulcani reductio bacchico thiaso comitante.

a) Vasa, in quorum parte adversa Vulcanus et Bacchus conjunti sunt.

I. Picturae vasariae **nigro** colore distinctae.

B. Quarta zona amphorae Clitiae et Ergotimi (quae „Françoisvase“ appellatur) Clusii repertae nunc Florentiae asservatae; expressa in Monum. dell' Inst. IV, 57. Archaeol. Zeitg. 1850. VIII. tab. 23. — cf. E. Braun, Bullet. 1845. pg. 113 sqq. Annali 1848. XX. pg. 299 sqq. Birch, Bullett. 1850. pg. 7 sqq. Gerhard, Archaeol. Zeitg. 1850. VIII. pg. 257 sq. 274 sq. —

C. Exterior atque adversa pars cylicis (quae ubi effossa sit ignoramus) nunc Florentiae asservatae; expressa paud Inghirami, vasi fitt. tab. 262. — In aversa parte respondent multi Satyri vindemiam facientes; express. ap. Inghirami l. c. tab. 263. —

D. Adversum amphorae latus a Campana in Etruria (Vulceis?) effossae, nunc Petropoli asservatae, cf. Stephani, Vasensammlung der kaiserl. Eremitage n. 55; express. apud Stephani Compte-rendu de la commiss. arch. pour 1863. pg. 55. cf. ibidem pg. 133. —

E. Pictura in cylice delineata. Cat. Beugnot n. 3. Dubois Cat. Pourtalès n. 148. (in aversa parte: Bacchus et Ariadne?) —

F. Pictura in cylice delineata. Sotheby, Catal. of Basseggios Collection 1839 n. 57. —

G. Pictura in cylice delineata. Sotheby, Catal. of Basseggios Coll. 1839 n. 64. —

H. Pictura in cylice delineata. Cat. étrusque n. 49. —

II. Picturae vasariae **rubro** colore distinctae.[1])

I. Exterior atque adversa pars cylicis Vulceis repertae, nunc Parisiis servatae; expressa in Monum. dell' Inst. V, 35. — cf. Cat. Dur. n. 379. — In aversa parte respondent: quattuor viri, duo adulescentes saltantes; in profundo paterae conspicitur Juno sedens atque rica velata et Prometheus (?). — cf. Braun, Bullet. XVIII,

1) Hisce certe non adnumeranda est exterior atque adversa pars cylicis, expr. ap. Inghirami vas. fitt. 260. El. Céram. I. 47ª. Quam picturam vasariam Lenormantus et de Witteus (El. Céram. I. pg. 142 sq.) inter repraesentationes Vulcani a Baccho in Olympum reducti rettulerunt. Jam Bluemnerus (de Vulcani in vet. art. mon. figura pg. 23 n. 2) hanc picturae interpretationem falsam esse dicit. Figura enim asino imposita Bluemnero videtur esse „puer tunica et pelle indutus et utrem dextra gerens.“ Inghiramius interpretationem affert nullam. Idem, Lenormantus et de Witteus atque Bluemnerus laudant primam vasculi publicationem factam a Politio (Palermo 1834. Sulla tazza dell' amicizia) sed minime inspexerunt descriptionem Politii, qui suis ipse oculis cylicem vidit. Politius dicit figuram, de qua quaestio est, esse Baccham: „Una graciosa Menade lo seque, cavalcante un superbo asino col fallo inalberato.“ —

1846. pg. 115 sqq. Archaeol. Zeitg. 1850. VIII. pg. 212. O. Jahn, Annali dell' Inst. XXIII. 1851. pg. 279 sqq. Einleit. in die Vasenkunde Anm. 296m. —

K. Exterior atque adversa pars cylicis Vulceis repertae; quae ubi nunc servetur haud constat. In aversa parte Satyri et Bacchae agmen adversae partis subsequuntur. In profundo paterae: Peleus et Thetis. — Expressa est in El. Céram. I. 44. 45. Duc de Luynes, vases étr. ital. sicel. et grecs tav. 33. 34. — cf. Cat. Dur. n. 379. Welcker, Annali 1840. XII. pg. 260. —

L. Pictura in cotyle adhuc inedita delineata, quae non constat ubi effossa sit neque ubi nunc asservetur; expressa est imago in apparatu Instituti archaeologici.[1])

M. Adversum latus stamni; non constat ubi effossum sit vas, cujus in averso latere videmus Baccham inter duos Satyros; expr. apud Gerhard, Auserles. Vasenb. I, 58. —

N. Adversum latus crateris Agrigenti reperti, qui nunc Monaci asservatur; in averso latere respondent tres figurae palliatae; expr. apud. Politi, illustr. sul dip. di Ercole ed un Apollo. Girg. 1829. tab. 4. El. Céram. I, 46a. — cf. Jahn, Muenchener Vasensammlg. n. 870. —

O. Adversum latus vasculi, cujus non constat forma neque quo loco repertum sit. (O. Muellerus, Handbuch d. Arch. 367, 3 putat vasculum in Italia inferiore effossum esse). Express. apud Tischbein IV, 38. Millin, Gall. Mythol. 13, 338. Inghirami vas. fitt. 265. El. Céram. I, 43. —

P. Adversum latus cotyli[2]) Parisiis in aede, quae „Louvre"

---

1) Overbeckii viri clarissimi benignitate licuit mihi delineationem hujus vasculi inspicere quae infra describetur. —

2) Lenormantus et de Witteus (El. Céram. I. pg. 92.) vasculi formam appellant craterem; attamen major tribuenda est fides Millini delineationi quae praebet formam n. 10 tabulae Jahni (Einl. in die Vasenk.). —

apellatur, asservati, quem in Italia inferiore effossum esse veri est simile. (Quid praebet aversum latus?) Expr. apud Millin, Vas. peints vol. II. tab. 66. Gall. Myth. 85, 338. Inghirami vas. fitt. 267. El. Céram. I, 46. —

Q. Adversum latus amphorae (vaso a colonette) in Sicilia (Nolae secundum Quarantam) repertae. Respondent in averso latere tres figurae palliatae. Express. ap. Millin, peint. ant. I, 10. Mus. Borbon. III, 53. El. Céram. I, 45 a. — cf. Gerhard u. Panofka, Neapels ant. Bildwerke pg. 245. n. 1509. Heydemann, Cat. Mus. Naz. Neap. n. 2412. —

R. Adversum latus vasculi, quod repertum videtur in Italia inferiore, cujus forma ignota est; (nunc in museo Brittannico (n.?) servatur); express. ap. Tischbein III, 39. El. Céram. I, 47. — cf. Dubois Maissonneuve 17, 1. —

S. Adversum latus pelices (vel crateris secundum Jahnium, Einl. in die Vasenkunde adnot. 156) Gelae repertae, Monaci asservatae, cujus aversum latus praebet figuram palliatam; express. apud Stackelberg, Gräber der Hellenen, tab. 40. El. Céram. I, 42. Müller-Wieseler, Denkmäler d. a. K. II. 18. 196. — cf. Jahn, Muenchener Vasensammlg. n. 776. —

T. Adversum latus crateris[1]) Nolae reperti et Parisiis in aede, quae „Louvre“ appellatur, asservati, cujus in latere averso respondent tres figurae palliatae; express. ap. Millingen, Vas. Coghill tab. 6, Millin, Vas. peints I, 9. Gall. Myth. 83, 136. El. Céram. I, 41. —

U. Adversum latus crateris Vindobonae asservati, qui ubi effossus sit non constat. Aversum latus praebet Baccham

1) Hanc formam affert Jahnius (Einl. in d. Vasenk. Anm. 344 a.) Lenormantus et de Witteus nominant oxybaphum, qua in re errasse videntur. —

et Satyrum. Express. ap. Laborde, Vas. Lamberg. I, 49. El. Céram. I, 48. — cf. Kenner u. Sacken, Wiener Antiken V, 122. Wieseler, Buehnenwesen VI, 5. Wieseler, Satyrspiel. pg. 35 sqq. 157. 170. 598. Bluemner, de Vulcani in vet. art. monum. figura pg. 24 adn. 2. —

V. Pictura[1]) amphorae, quae ubi effossa sit non constat; expr. ap. Inghirami vasi fittili 268. —

W. Adversum latus amphorae (vaso a colonette) in Etruria, ut videtur, repertae. cf. Cat. Mus. Campanae IV, 225.

X. Adversum latus crateris Neapoli servati, in cujus averso latere respondent duae Bacchae et Satyrus. Qua in regione repertus sit crater, ignotum est. cf. Heydemann, Cat. Mus. Naz. Neap. Sant. Ang. n. 701. —

Y. Adversum latus canthari, Romae asservati, qui in Etruria effossus videtur esse. cf. Cat. Mus. Campanae IV. 69. —

Z. Vasculi pictura ab auctore Cat. étr. n. 51. laudata. —

AA. Vasculi pictura ab auctore Cat. Dur. n. 126 laudata. —

b) Vasa, quorum in parte adversa Bacchus, in parte aversa Vulcanus pictus est.

I. Picturae vasariae **nigro** colore distinctae.

BB. Amphora Vindobonae servata, quae Vulceis videtur esse effossa. — cf. Kenner u. Sacken, Wiener An-

1) Millini operis quod „Vases peints“ inscriptum est, cum tomum II. bibliotheca universitatis Lipsiensis non praebeat, nullam hujus vasculi imaginem inspicere potui nisi eam, quam praebet Inghiramius. Quam imaginem imperfectam et quasi fragmentum quoddam esse nemo non videt. Tres enim solum inveniuntur figurae: Satyrus, Bacchus, alter Satyrus atque asini pars prior; desunt autem asini pars posterior atque Vulcanus asino impositus, quia delineatio praecisa est. — Si postea certiores fieremus, picturam omnino non monstrasse Vulcanum asino impositum, etiam tum censerem picturam vasculi excerptam esse ex repraesentatione Vulcani reducti. —

tiken V, 178; — express. apud Inghirami, vas. fitt. 263. 264. Laborde, Vas. Lamberg. I, 52. 53. —

CC. Amphora Vulceis effossa, Londoni servata in museo Britannico n. 525; expressa ap. Gerhard, Auserles. Vas. I, tab. 38. (cf. ibidem pg. 150 sqq.) El. Céram. I, 49. —

DD. Amphora Cumana, Neapoli servata; cf. Heydemann Cat. Mus. Naz. Neap. Racc. Cum. n. 221. — Express. in Bullet. arch. Neap. Nuova Ser. V. tav. X, 1. 2. — cf. Gerhard Arch. Anzeiger 1857, pg. 92. —

EE. Amphora Vindobonae servata, quae ubi effossa sit non constat. Expr. apud Laborde Vas. Lamberg. I, 54. 55. — cf. Kenner u. Sacken, Wiener Antiken II, 8. —

FF. Amphora Vulceis effossa, quae ubi nunc servetur non constat. — cf. Cat. étr. n. 50. Gerhard, Rapporto volc. n. 236. —

GG. Celebe in Italia inferiore reperta. cf. Cat. Magnoncour n. 331. Cat. Dur. n. 123. —

HH. Pictura ab auctore Cat. Dur. n. 124 laudata. —

II. Pictura ab auctore Cat. Dur. n. 125 laudata. —

KK. Amphora Vulceis effossa nunc Monaci asservata[1]; cf. Jahn, Muenchener Vasensammlg. n. 1179. —

LL. Amphora Vulcejana (quae a Campana videtur effossa); cf. Cat. Mus. Campanae IV, 1111. —

MM. Amphora (cujus possessor cum olim fuerit princeps de Camino, Vulceis videtur effossa esse) nunc in museo servata Britannico n. 527. —

NN. Amphora in Etruria reperta; cf. Bluemner, de Vul-

---

1) Quamquam Bacchi figura desideratur, tamen haec pictura vasaria repraesentationibus Vulcani in Olympum reducti certe adnumeranda est. —

cani in vet. art. mon. figura pg. 20 („amphora tyrrhenica"). —

II. Picturae vasariae **rubro** colore distinctae.

OO. Vasculum adhuc ineditum, quod ubi repertum sit non constat (pariter forma mihi ignota), nunc asservatum in museo Campanae IV. 870 (quod infra pg. 27 sq. describetur). —

PP. Stamnus adhuc ineditus, Caere in Etruria a Calabresiis fratribus effossus, quem A. Castellani Romae possidet (cujus delineatio infra pag. 28 sq. describetur). —

QQ. Amphora inedita[1]) Neapoli servata, qua in regione reperta sit, Heydemannus exquirere non potuit; cf. ejusdem Cat. Mus. Naz. Neap. Sant. Ang. n. 688. —

RR. Amphora Vulceis reperta Monaci asservata; cf. Jahn, Muenchener Vasensammlg. n. 526. —

SS. Crater in Italia inferiore repertus, nunc Parisiis servatus, cf. de Witte, Notice sur les vases peints et à reliefs du Musée Napoléon III. pg. 23. n. 870. —

Picturae vasariae scaenam tertiam, Junonem a Vulcano solutam, repraesentantes nullae adhuc innotuerunt, quoniam vasculum Antii repertum nunc Petropoli (cf. Stephani, Vasensammlung der kaiserl. Eremitage n. 355) servatum, quod a viro docto huc relatum est, alia repraesentatione ornatum est. —

Scaena autem secunda, ipsa Vulcani reductio in quadraginta duobus picturis vasariis repraesentata est, quarum haud paucae, si respicimus nigro colore distinctas, neque compositione neque arte insignes videntur. Contra praeclarae sunt nonnullae picturae vasorum rubrae, inter quas

1) Heydemannus qui solus imaginem hujus picturae possidet, eam, ut inspicerem, mihi misit; qua benignitate commotus viro clarissimo gratias hoc loco ago maximas. —

tres nondum editae (**L, OO, PP**). Quas si descripsero — praesto enim mihi sunt delineationes[1]) — haud inutili videbor functus esse negotio:

Vasculi **L** particulae duae desunt in adversa parte. Repraesentatio haec est:

a) Antecedit Satyrus barbatus, calvus, sinistra manu utrem vinarium humero impositum tenens. Utrum manu dextra aliquam rem tenuerit annon, haud constat, quia hoc loco vasculum fractum est. Respicit Satyrus ad Baccham indutam mitra et chitone duplici longo, tibia canentem; sequitur Bacchus barbatus, tardis pedibus ingrediens, taenia ornatus, chitone longo et pallio superinjecto indutus, sinistra manu cantharum attollens, dextra thyrsum gerens; respicit ad Vulcanum qui subsequitur; hederatus est Vulcanus, barbatus, chlamyde indutus, dextra manu forcipem parvum sed longis manubriis instructum, sinistra malleum humero sinistro impositum tenens. Sequitur Satyrus calvus, barbatus, respiciens ad Baccham, quam obscoene manibus aggredi vult; Baccha agmen adversi lateris claudens mitra vel tiara induta est et chitone longo, qui totum corpus tegit. — Hisce sex figuris totidem respondent in aversa lateris parte:

b) Satyrus calvus, barbatus, pleno gradu tendens sed ad Baccham respiciens, quam manibus comprehensurus est, quae mitra et chitone induta thyrsum dextra gerit; sequitur Satyrus calvus, barbatus, qui amphoram vinariam humero impositam magno labore portat. Altera Baccha, taenia ornata, chitone induta, thyrso porrecto prohibet, ne a Satyro protervo comprehendatur; a quo certamine caput tiara tectum avertens Baccha sequitur, chitone omnino velata, thyrsum tenens. — Totum agmen bacchicum a

1) Overbeckii benignitate delineationes vasorum L, OO, PP inspicere potui. —

sinistra ad dextram partem versus tendit. — Vultus nullo modo expressi sunt; interdum lineae corporum formas describentes intra vestium lineamenta inveniuntur. —

Vasculum OO qua in regione repertum sit, non dicit auctor catalogi musei Campanae, qui (ser. IV. n. 870) paucis verbis picturam ejus describit; tamen veri est simillimum Vulceis id effossum esse, unde plurima, quae in museo Campanae asservantur, vasa deportata sunt.[1]) Neque vasculi de forma constat; tamen cylicem esse ex picturae compositione mihi quidem persuasum est. Agminis bacchici repraesentatio a sinistra ad dextram partem versa est.

Sedet in solio, quod reclinatorio caret, Juppiter barbatus, laureatus, chitone et pallio velatus; sinistra manu sceptrum anthemio ornatum solo nititur. Advenit Mercurius brevi chitone, chlamyde atque calceis alatis indutus; capiti ejus *πέτασος* impositus est; laeva manu *κηρύκειον* portat; respicit ad Vulcanum, cujus asinum ithyphallicum ipse Mercurius loro ducit. Vulcanus barbatus ambobus pedibus in asini parte adversa dependentibus frenos apprehendit, ne delabatur: scurrili modo asino impositus est; caput ejus pileo in modum metae erecto tectum atque insuper hederatum est. Dextera forcipem et malleum tenet Vulcanus chitone et himatio indutus. Juxta asinum inscriptum est (*Ἡφ*)*ΑΙΣΤΟ*(*ς*). Respicit Vulcanus ad Satyrum calvum, barbatum, hederatum, qui asinum sequitur tibiisque duabus canit; sequitur alter Satyrus ithyphallicus qui sinistra manu utrem vinarium vino repletum humero impositum portat; respicit ad Baccham quae vehementer subsequitur (intra chitonis lineamenta corporum formas describentes cernuntur lineae); bracchia tota velata sunt amiculo, quod insuper nebride tectum est; caput cirris ornatum demissum est;

1) Quod Roma mihi perscripsit Helbigius, vir clarissimus. —

juxta Baccham inscriptum est *ΚΑΛΟΣ*; sequitur tertius Satyrus, qui sinistra manu tenet lyram septem chordarum, de qua balteum dependet; dextra plectrum gerit; endromides pedibus religatae non desunt. Sequitur quartus Satyrus hederatus, qui sinistra manu duos malleolos attollit, dextra forcipem et securim (malleum?) gerens Bacchum a tergo amplexus sustinet, qui vino ebrius caput demisit; chitone indutus est insuper chlamyde sinistro bracchio injecta; superscriptum est *ΔΕΣ......ΩΔ*[1]). Sequitur altera Baccha priori Bacchae simillima, tum quartus Satyrus, cui *K*[2]) superscriptum est. Agmen claudit Baccha hederata, chitone duplici induta quae caput cirris ornatum retrovertit, dum subsistit, sinistra manu anguinem attollens, dextra manu paullum aperta cuidam annuere videtur. —

PP. Pictura totam alvum stamni tegit qui multis e fragmentis iterum conglutinatus est laesis nonnullis figuris. Agmen bacchicum a dextra parte ad sinistram versum est:

a) Primae figurae subsistenti desunt caput et bracchium sinistrum quod baculum ante figuram stantem tenuisse veri simillimum est; bracchium dexterum coxa nititur. Ad hanc figuram versa secundo loco stat femina chitone et himatio induta; desunt caput, collum, laeva pectoris pars; cirra in humeros dependere videtur; tiarae et capitis partes non sunt laesae; advenit tardo pede Baccha, tiara chitone et chlamyde induta, quae dextra facem flagrantem tenet, laeva coxae innisa est. Post ansam in averso latere:

b) Vulcanus asino paullo admisso vehitur; fragmenta desunt in quibus picta erant crura dei, asini pedes priores et magna capitis pectorisque pars. Vulcanus barbatus est,

---

1) Nomen *ΔΙΟΝΥΣΟΣ* certe hoc loco restituendum est. —
2) Certe est supplendum ***Καλός***. —

longos habet cincinnos, tenet dextra facem inflammatam, laeva baculum demissum, cujus pars prior non exstat; chitone deus indutus est et chlamyde ambobus bracchiis circumvoluta; respicit ad Satyrum barbatum, vittatum, qui duabus canit tibiis. Agmen claudit Baccha hederata, longis ornata cincinnis, cum chitone succincto, dextera facem inflammatam, laeva lyram septem chordarum gerens. —

In enumeratione modo facta divisi vasa nigris figuris et vasa rubris figuris ornata; quo factum est, ut magnus vasorum numerus in duas partes dispositus sit. Quae dispositio non sufficit. Id enim mihi proposui atque summo opere efficere studui, ut picturas vasculorum diligentissime certis ordinibus distribuerem et tali modo distributarum ordines quibus e fontibus, ut ita dicam, fluxissent, demonstrarem. Quod si fecero aetates vasculorum definiri poterunt qua in re Brunnius[1]) ac nuper Theodorus Schreiberus[2]) vasorum studii finem esse summo jure dixere. —

Picturae autem vasariae quae sunt supra enumeratae tertiam et quartam tantum fabulae scaenam repraesentant. Atqui fontes qui supra expositi sunt quinque praebent fabulae scaenas. Monumenta ergo quae primam, secundam et quintam scaenam repraesentant vasculorum pictoribus exemplaria fuisse non possunt. Quam ob causam de anaglypho in solio Apollinis Amyclaei atque de Gitiadae anaglyphis in templo Minervae Chalcioecae nulla fient verba. — Pari modo ad poetas lyricos nullo modo recurram, quippe cum nihil in picturis vasariis inveniatur quod ad exemplar

---

1) Probleme in der Geschichte der Vasenmalerei, Ber. d. bair. Ak. d. Wiss. I. Cl. Bd. XII. 2. Abth. —

2) Jahrbb. für class. Philol. 1876. pg. 349 (Anzeige von Ad. Flasch, d. Polychromie d. gr. Vasenbilder). —

poetarum lyricorum videatur compositum. Accedit quod nemo unquam fuit, qui hunc in modum censeret de picturis vasariis.

Quapropter unum restat monumentum quod imitari potuerunt vascularii: pictura Athenis in templo Bacchi picta. Ex fontibus autem poeticis haud rejicienda sunt poemata epica atque dramatica. —

Jamjam abhinc multos annos archaeologi conati sunt demonstrare picturas vasarias, quae nostram fabulam repraesentarent, ex uno vel altero horum fontium fluxisse. Superioribus autem temporibus, cum archaeologia et praecipue artis mythologia incunabula nondum superavisset, qui picturas in vasculis depictas descripserunt atque ediderunt: Millinus et Millingenus neque raro editores libri, qui Élite Céramographique inscribitur in notis modo hunc modo illum laudant locum scriptorum antiquorum, nullo picturarum fonte certe definito. Primus autem (1824) Muellerus[1]) dicit comoediam Epicharmi pictores vasarios ad imitandum concitasse, Welckerus[2]) (1826) autem Achaei drama satyricum esse fontem statuit; quem sequitur Urlichsius[3]) (1835), Muellerum autem Grysarus[4]) (1828) et Lorenzius[5]) (1864) cum Bernhardius[6]) in laudanda comoedia Italiae inferioris dicat non unius Epicharmi esse rationem habendam. Quod attinet ad templum Bacchi Atheniensium, Kramerus[7]) (1837)

1) Dorier II, 354 sq. —

2) Nachträge zur Aeschyleischen Trilogie pg. 300. —

3) Achaei Eretriensis fragmenta coll. Bonnae 1834. pg. 53 sq.

4) De Doriensium comoedia pg. 45. 72. 245. —

5) Leben u. Schriften des Koers Epicharm. pg. 138. —

6) sub voce „Epicharm“ in Erschii et Gruberi encyclopaed. univers. tom. 35. pg. 35. adn. 25 „.... Niemand darf uns auf so schwankende Analogien hin zumuthen, die Quelle der plastischen Darstellungen in den Buehnenspielen von Syrakus und nicht lieber in der Tragikomoedie u. den verwandten Possen Mittel- u. Unteritaliens aufzusuchen.“ —

7) Ueber Styl u. Herkunft der bemalten griech. Thongefässe pg. 17. adn. 1. —

tabulam ibi collocatam pro fonte picturarum vasariarum habuisse videtur; quam eandem sententiam Prellerus[1]) (1854) protulit certis verbis. Prellerum autem pauca tantum vascula, quae huc referenda sunt, cognita habuisse veri simile est, quam ob rem Bluemnerus[2]) (1870) Prellerum secutus ejusdem verba paullum restringit justo jure. — Restat, ut moneam prioribus temporibus parvum tantum numerum vasorum in Sicilia et Italia inferiore repertorum notum fuisse: ea, quae Muellerus et Welckerus[3]) enumerant. Quorum duo fuisse Vulceis effossa nulla modo adhuc archaeologi respexerunt. Attamen maximum esse tribuendum momentum terris et locis ubi vascula, quae nostram fabulam repraesentant, reperta sint, equidem puto. Quod nuper Lorenzius[4]) — anno 1864, quo ex tempore nemo de his picturis vasariis egit — hisce verbis monuit: „Demnach können wir auch in den zahlreichen Vasenbildern, welche eine andere Scene aus demselben Mythus behandeln, aber die Rückführung des trunkenen Hephäst durch Bakchos, eine theatralische Reminiscenz vermuthen — obwohl man sich hier vor Verwechselung mit attischen Vasen hüten muss und keineswegs überall, wo Hephäst in bakchischer Gesellschaft ist, an jene Rückkehr denken darf, so z. B. nicht bei Millin, Gall. myth. 13, 337 [O] 85, 338 [P], de la Borde, collect. de vases grecs du comte de Lamberg I, 52 [BB] u. a." — Quod postremo loco dicit — picturas vasculorum **O, P, BB,** Vulcani reductionem non repraesentare — hac in re mirum quantum

1) Griech. Mythologie I³. pg. 144. —

2) de Vulcani in vet. art. mon. figura Vratislaviae 1870. pg. 19: „haec fabula in templo Bacchi vetusta pictura repraesentata erat, quam vasorum pictores certe, ut opinor, interdum imitati sunt. —

3) Handbuch der Archaeol. 3. Aufl. 367, 3. —

4) Leben u. Schriften des Koers Epicharm. 1864, pg. 24 adn. 9. —

erravit; attamen optime meruit de nostra quaestione, quod contendit vascula in Attica perfecta et reperta ab aliis secernenda esse. Per se enim patet, munere fungi fere inepto si quis conetur demonstrare picturas vasculorum, quae in Attica effossa essent, ad Epicharmi imitationem pictas esse. Quamvis autem in Attica ipsa nullaedum picturae vasariae Vulcani reductionem repraesentantes repertae sint, tamen veri est simillimum haud pauca vasorum in Italia inferiore et in Etruria repertorum in Attica facta esse. Qua in re si quid accuratius exquirere atque statuere conamur, hoc quidem primo loco examinandum est, utrum omnino permagna vasorum copia posterioribus quoque temporibus exportata sint, an potius multae et eae magnae vasorum fabricae extra Atticam viguerint. Jam id quidem ex virorum doctorum[1]) perscrutationibus videtur apparere,

---

1) Kramerus primus libro qui inscribitur „Ueber Styl u. Herkunft der bemalten griech. Thongefaesse“ multis argumentis confirmavit, vasa in Italia reperta in Graecia et quidem in Attica fabricata esse. Kramerum sequitur O. Jahnius in libro qui inscribitur „Einleitung in die Vasenkunde,“ insuper positis vasculorum fabricis vernaculis in Italia inferiore, Sicilia atque Etruria temporibus multo posterioribus. Gerhardus (Archaeol. Zeitg. 1855. XIII, pg. 99—110. 114—120) putat majorem fuisse numerum fabricarum Italicarum et contendit multa opificum et vasculariorum collegia („Kuenstlergilden“) in Italiam demigrasse. E. Braunius (Archaeolog. Anzeiger 1856. pg. 188* Zur Revision der Vasenkunde; briefliche Mittheilung) Gerhardum secutus praeterea etiam Caere, Nolae, Cumis fabricas vernaculas fuisse demonstrat. Anno demum 1871 res denuo examinata est a Brunnio; qui vir doctissimus explanavit artem figuras in vasis pingendi nigro colore et rubro colore liberioris stili in Attica per tempus multo majus durasse quam archaeologi superiores putaverant, cum magnam partem vasorum figuris nigris ornatorum archaistica esse demonstraret. Qua in re Helbigius (Bullet. dell' Inst. arch. 1871. pg. 85 sqq.) et Bursianus (Literar. Centralbl. 1871. pg. 342). Brunnio assentiuntur etiamsi vasa, quae post quartum saeculum a. Ch. n. facta sint, fabricis Italis vernaculis tribuant. —

maximam partem vasorum in Attica fabricatam esse. Contra equidem non abnuerim fabricas vasorum vernaculas fuisse etiam in Lucania et Apulia et Sicilia, Caere, Nolae, Cumis. Vasa Lucana et Apula temporibus posterioribus ficta atque picturis ornata esse inter omnes constat[1]), cum vascula Nolae reperta aetati priori tribuenda sint. Quod attinet ad nostra vasa, quae supra enumeravi, ratio habenda est Siciliae, Cumarum, Nolae, Vulceorum nonnullorumque Italiae inferioris locorum, quae, quod dolendum est, pro certo constitui et designari non potuerunt. Vascula Vulceis effossa in Attica fabricata sunt: in picturis quidem vasariis Vulcani reductionem repraesentantibus Vulceis repertis invenitur nulla, quae in fabrica Etrusca temporis multo posterioris ficta sit, cum signa fabricationis Etruscae, quae nullius oculos fugere possunt, utique desint. Quae cum ita sint, perscrutatio nostra versabitur — exceptis vasis ex Attica in regionem Vulcejanam exportatis (**B, C, D, CC, H, I, K, W, Z, FF, KK, LL, MM, NN, RR**) — in vasculis Cumis (**DD**) Nolae (**T**) Caere (**PP**) in Sicilia (**N, Q, S**) in Italia inferiore (**N, O, P, R, GG**) fabricatis. — Ut de fabricis vernaculis Italiae atque Siciliae verba faciam, hoc monendum videtur primas vasorum fabricas conditas esse ab artificibus et opificibus Graecis maxime Atticis: neque enim ulla in regione tantopere floruerunt *κελευθοποιοὶ παῖδες Ἡφαίστου*[2]) quam Athenis. Quo factum est, ut artificibus Italis Siculisque Atticum ingenium traderetur, ne dicam inspiraretur, ita ut exemplaria operum eorum primo loco certe in operibus artificum neque minus poetarum requirenda sint Atticorum. —

---

1) cf. Helbig, Untersuchungen üb. d. campanische Wandmalerei. Vorwort pg. IX. —

2) Aesch. Eum. v. 13. —

I. De picturis vasariis ad exemplar **poetarum epicorum** compositis.

Hoc loco afferenda sunt vasa omnia nigris (**B, C, D, BB, CC, DD, E, F, G, EE, FF, GG, HH, II, KK, LL, MM**) et duo rubris figuris ornata severioris stili (**I, K**)[1]. Quorum pars maxima (**CC, FF, K, I, KK** et, ut mihi quidem persuasum est — **LL, MM**) Vulceis effossa est, **D** in Etruria, **B** Clusii, **DD** Cumis. Cum Etrusci ex Attica vasa supportarent[2], vascula quae enumeravi ab opificibus Atticis facta esse constat (quod de **C** et **BB** solis certo demonstrari non potest) excepto vasculo **DD**, quod in fabrica vernacula Cumis fictum et figuris ornatum est. — Pictores autem vasorum hoc loco perquirendorum poetarum epicorum vestigia secutos esse, in universum esse veri simile negare nullo modo possumus, si temporum habemus rationem. Justo enim jure omnia vascula nigris ornata figuris temporibus vetustioribus cum fabula a nullis tractata est nisi a poetis epicis. Sane demonstraverit Brunnius[3]) in vasis imagines vetusti stili pictas esse etiam posterioribus temporibus: sed sunt omnes ejus modi, quas archaisticas appellare archaeologi consueverunt. Quot vasa ex septem et decem nigras figuras exhibentibus indicis mei archaistica sint, tum demum statuere potero, cum omnia meis ipse oculis videro. Attamen multum huic separationi archaicorum et archaisticorum tribuendum non est in exquirendis

---

1) Delineationes inspicere mihi licuit vasorum B, C, D, BB, CC, DD, I, K, in quae eam ipsam ob causam diligentius inquirere potui; de ceteris autem (E, F, G, EE, FF, GG, HH, II, KK, LL, MM) obiter tantum agere potui. —

2) cf. O. Jahn, Einl. i. d. Vasenkunde pg. LXVIII sqq. E. Gerhard, Zur Revision der Vasenkunde, Arch. Zeitg. 1855. pg. 99 sqq. —

3) Probleme in der Geschichte der Vasenmalerei 1871. Ber. d. bair. Ak. d. Wiss. I. Cl. Bd. XII. 2. Abtheil. —

picturarum exemplaribus poeticis: vascula enim archaistica quae, ut ita dicam, vascula vere archaica imitantur, hac ipsa imitatione sequuntur idem poeseos genus. — Quam ob rem si inspicientibus nobis fabula in picturis vasorum quae supra enarrata sunt apparuerit eo modo pertractata, qui cum poeseos genere epico congruat, nullo modo concedemus vascularios poetarum epicorum secutos non esse exempla. —

Jam vasculorum quae huc spectant praeclarissimum est vas Clitiae et Ergotimi (B) quod in Attica perfectum esse ne Braunius[1]) quidem negat, quamvis in universum minime consentiat cum iis, qui dicant vasorum numerum ex Attica in alias terras exportatorum fuisse permagnum. Ut vasculi origo Attica ita et stilus vere archaicus laudatur. Vulcani ergo reductio in quarta vasis zona picta artificium est Atticum. Qua in repraesentatione nolim negligas totam scaenam in Olympum translatam esse. Deorum autem adsunt Olympiorum: Juppiter in solio sedens et pariter Juno quae etiamtum esse religata statuenda est; porro prope Olympi limen Venus, post Junonem autem Minerva, Mars, Diana atque, si ex fragmentis figurarum verum cognosci potest, Apollo et Mercurius[2]). Tres ithyphallici Satyri pedibus equinis alius alius vestigiis quasi ordine militum servato sequuntur mulum Vulcani, quorum primus portat utrem vinarium tergo impositum, secundas duabus canit tibiis, tertius jocatur cum nympha. — Ut omnes repraesentationes vasculi quod nomine „Françoisvase“ designatur, sic et reductio Vulcani eo modo picta est, quem nostro sermone „epische Breite“ appellare consuevimus, spreta tragoedorum magnificentia — quod πάθος Graeci vocant —

1) Zur Revision der Vasenkunde; briefl. Mittheilung im Archaeol. Anzeiger 1856. pg. 188.* —

2) Haec nomina omnino probanda figuris mutilatis scite imposuit E. Braunius, Annali dell' Inst. XII. 1848. pg. 332. —

cum jocosa ratio, quae fabulae inest, in singulorum Silenorum habitu et gestibus et in Vulcano scurrili modo asino equitante recognoscatur. Conspicimus Bacchum et Vulcanum cum comitatu sine ullo apparatu magnifico simplici modo in Olympum ingredientes. —

Fere eadem dicenda sunt de vasculis Florentino (**C**) et Petropolitano (**D**),[1]) quae tamen — sicuti cetera omnia nigris figuris ornata — maxime hac re differunt a pictura Ergotimi (**B**), quod in iis cum Olympus nullo modo designatus est, tum nulli adsunt dii Olympii Vulcanum reductum excipientes. Pictores vero id maxime egerunt, ut totum agmen jocosum repraesentarent; neque enim refutandum videtur in carminibus epicis descriptum fuisse versibus uberioribus, quomodo Satyri et Bacchae circum Vulcanum vino ebrium saliissent et ludos fecissent, mulum Bacchi lacessissent. **D** tres solum praebet Satyros, Bacchas nullas quales in **C** reperiuntur, ubi Satyris immixtae gestibus lascivis pictae sunt. Contra nulla re nisi directione agminis discrepat a **B** compositio figurarum primariarum in **C**: Bacchus respiciens longa veste picta indutus, mulum ithyphallicum et Vulcanum portantem loro ducens. In **C** non gerit Vulcanus malleum[2]) quo attributo pictores fere omnium vasorum nigris figuris ornatorum ut ita dicam armaverunt; in **D** autem cornu (*ῥυτόν*) deest, quod Bacchus in **C** laeva manu comprehensum attollit. In **C** Vulcani asinum sequitur, intermisso Satyro utrem vinarium portante, Baccha gestus

---

1) Stephanius cur in dubio sit, utrum vir asino equitans (dicit enim in Catal. d. Vasensammlung d. Petersburger Eremitage No. 55. „auf einem ithyphallischen Maulthier oder Esel sprengt ein baertiger Mann [Hephaistos oder Lycurgus]“ sit Vulcanus an Lycurgus, equidem nullo modo perspicio. —

2) Mallei, quem Vulcanus gerit, forma in D, K, CC, DD, I, K fere eadem est: per caput amplum immissum est longum sed tenue manubrium. In B Vulcanus gerit flagellum. —

tales manibus agens, ut conjicere liceat eam verberaturam esse asinum, ut celerius progrediatur; id quod multo evidentius expressum est in **BB**, ubi Satyrus et Baccha magnum impendunt laborem asino obstinato verberibus promovendo[1]) — quem Bacchus loro non ducit, cum in averso latere repraesentatus sit — et Baccha praecurrens baculo sublato stimulare et voce inclamare videtur. Qua in re quamquam secundaria tamen poetarum epicorum morem atque rationem recognoscere possumus: tota Bacchi cohors nullo modo ignorat quam egregie factum et diis diu exoptatum sit, quod suscepit atque perficit thiasotarum princeps; quamobrem neque hilaritate neque jocis obscoenis unquam omissis Bacchum adjuvare student in reducendo amico. — Praeter picturas, quas attuli (**B C D**), **FF**, **G** Bacchum et Vulcanum in uno eodemque vasculi latere praebent[2]), major autem est numerus eorum, ubi reductionem Vulcani adverso et averso vasis lateribus distributam reperimus (**BB, CC, EE, FF, GG, HH, II, KK, LL, MM**). Quas repraesentationes bipartitas — hic Baccho illic Vulcano in medio posito — certo quodam sensu ducti pro imitationibus habere possumus. Pictores enim vasarios in fabricis multas fabulae repraesentationes vidisse atque haec exemplaria compositione plus minusve mutata singulorum vasorum superficiei figuris ornandae accomodasse atque nonnullas res ad ipsorum arbitrium haud raro adjunxisse mihi quidem persuasum est — Vasculo Vulcejano quod laudavi (**BB**) alterum pariter, ut opinor, Vulceis repertum videtur simillimum, si qua descriptioni[3]) habenda est fides. Paucae autem harum

---

1) Idem significare videtur gestus Satyri qui in D asinum sequitur

2) Ex quibus E dignum videtur, quod archaeologi accuratius perscrutentur, praesertim cum catalogorum auctores dicant in aversa parte repraesentatos esse Bacchum et Ariadnen. —

3) Catal. Mus. Campanae IV. 1111. a) Vulcano con martello

picturarum reductionis scaena bipartita agmen non continuum praebent; sic in **CC** non conspiciuntur nisi figurae primariae excerptae vel electae ex alia pictura vasaria. Videmus enim in altero latere inter duos magnos oculos Vulcanum hederatum, malleum et palmitem gerentem, mulo equitantem, ante quem Satyrus barbatus, auribus praeacutis et cauda equina duabus canit tibiis; in averso latere pariter inter duos magnos oculos Bacchus est hederatus, barbatus, longis cincinnis ornatus, longo chitone indutus, dextera magnum palmitem, sinistra cantharum gerens, ante quem sedet adversus leo faucibus apertis; porro, intermisso magno oculo, Satyrus senex utre vinario portando laborat. Si habenda est fides delineationi Gerhardi[1]), pictura in hoc vase Vulcejano est archaistica, praesertim cum leonis figura fere congruat cum bestiis in vasculis temporum antiquissimorum pictis. — **CC** unicum vas est (excepto **B**) nigris figuris ornatum, ubi Satyrus tibiis canens inveniatur. — Amphora Cumana **DD** ab aliis abhorret, quod Vulcanum, qui quidem malleo evidenter significatus est, tauro impositum praebet; post eum Satyrus est, alter Satyrus ante taurum humi prostratus cornu tenet. Mulum autem Bacchi in adverso amphorae latere conspicimus, in quo Bacchus ipse sedet vel potius pedibus dependentibus procubuit et manibus porrectis utrem vinarium a Satyro oblatum comprehendit. Quibus figuris reductio Vulcani ipsa non repraesentatur, attamen pictura hoc loco laudanda est. Stili severi rationem habentes vasculum temporibus antiquissimis tribuere debemus, quam ob rem exemplar pictoris in poesi sola epica requirendum est. Nihilominus pictorem cum

---

sopra itifallico mulo tra due menadi e due satyri. b) Bacco barbato con corno potorio nelle mani e tralcio carico d'uva, dirimpetto a donna velata, è circondato da Baccante e due satiri. —

1) Auserles. Vasenb. I, 38. —

reductione Vulcani fabulam Bacchi in tauro equitantis confudisse patet, quod minus mirum nobis videtur considerantibus vasculum in fabrica Cumana effictum esse. Cumis enim, cum Graeci jam saeculo a. Ch. n. undecimo ibi condiderint coloniam, temporibus antiquissimis vasorum fabricas viguisse a vero non abhorret. Qua propter non est quod miremur in **DD** ingenium Atticum desiderari. —

Hisce vasculis nigras figuras exhibentibus adjungendae sunt paterae duae Vulcejanae, rubris figuris rigidi stili ornatae (**I, L**) quae altera alteri[1]) simillimae sunt: utraque pictura sex praebet figuras, atque pariter a sinistra in dextram partem agmen bacchicum directum est. Vulcani typus[2]) plane idem est: Vulcanus barbatus tegumentum capiti arte adhaerens gerit, exomidem, quo genere vestium opifices uti solebant, et praeterea chlamydem in dextro humero fibula connexam. Bacchus barbatus vittam crinibus illigatam cum longo chitone duplici gerens amicum claudicantem ducit *χεῖρ' ἐπὶ καρπῷ* retroverso capite, cui in utraque pictura (**I, K**) longi cincinni desunt, quos in vasis nigris figuris ornatis invenimus. Discrimen inter utriusque cylicis figuras primarias intercedit minimum: in **I** Bacchus gestat *κέρας*, Vulcanus malleum humero impositum, in **K** Bacchus magnum palmitem, Vulcanus follem et parva instrumenta fabrilia, quae in **I** Satyrus subsequens portat. Porro in utraque pictura — quamquam in locis inter se non respondentibus — invenitur Satyrus duas tibias tenens et Satyrus craterem sinistro humero impositum portans. Quarto Satyro in **K** respondet in **I**: Baccha crotalis ludens.

---

1) Quam ob causam jam Jahnius alteram juxta alteram attulit, Einl. i. d. Vasenk. nota 496. sub. l et m. —

2) cf. Bluemner, de Vulcani in veter. artium mon. fig. pg. 24. 25 „cujus (Vulcani) gradus labans atque incertus . . . . praeclare a pictore significatus est." —

— Olympus nulla re indicatus est: agmen bacchicum in Olympum proficiscens repraesentatum est simplici modo nulla pompa scaenica assumpta, ut in vasis nigris figuris ornatis; neque joca desunt. Sic cum poetarum epicorum ratione omnino congruit, Bacchus enim sua ipse manu opificem illum incultum — qualis in Iliade et Odyssea laudatur — ducit. In utraque patera habitus Vulcani idem est: pedibus omnino nudis ingreditur, quorum sinister caute prolatus est; quo gradu labanti clauditatem dei voluisse pictores repraesentare mihi persuasum est, cum neque in **I** neque in **K** ebrietatis indicium in Vulcano reperiatur. Discrimen autem quod intercedat inter has picturas rubro colore rigide delineatas et vascula nigris figuris ornata in eo solum cernitur, quod in illis (**K**, **I**) pedibus Vulcanus ingrediens repraesentatus est absente Bacchi mulo. Cum autem similitudo vasculorum **I** et **K** sit maxima, veri videtur simile utriusque vasculi pictores idem imitatos esse exemplar; quae conjectura haud est improbabilis, quoniam e discrepantiis levioribus apparet, quanta libertate et licentia artifices Attici — quibus videlicet vascula Vulceis effossa tribuenda sunt — in exemplari iterum depingendo sint usi. —

Picturas vasarias omnes adhuc allatas (**B, C, D, E, F, G, I, K, L, BB, CC, DD, EE, FF, HH, GG, II, KK, LL, MM**) secundum poetarum epicorum rationem effictas esse, equidem statuo, sed ita tamen, ut putem, in componenda pictura suum arbitrium eos secutos esse. Horum autem vasorum nonnulla esse archaistica, bina interdum ut (**I, K**) vel plura ad exemplar tertii cujusdam vasis picta esse; quae res in nostra perscrutatione parvi est momenti. — Vulcani typum constantem in picturis vasariis nigro colore delineatis non invenimus: nulla re nisi malleo et forcipe attributis designatur Vulcanus; sed quae prope ad ea accedunt

vasa rubris figuris severioris stili ornata (**I, K**) fabrorum deum evidenter expressum praebent exomide, chlamyde, pileo capiti arte adhaerenti et praeterea folle designatum. Contra Bacchi typus omnium vasorum huc referendorum plane congruit: Bacchus est barbatus, longis cincinnis ornatus, hederatus (exceptis **I, K**) et longo chitone talari indutus. — Praeterea animum intendas velim ad schema quod jam in vasis antiquissimorum temporum invenitur neque minus in vasis liberioris stili (**L, M, N, O, P, S, QQ**): Bacchus attente respiciens ad Vulcanum, quem ipse aut Satyrus manu ducit (**B, C, D, I, K, L**). —

II. Quatenus pictura Athenis in templo Bacchi pictoribus vasculariis exemplar fuerit, exploratur.

Jam supra[1]) commemoravi nonnullas archaeologos existimasse omnes picturas vasarias in libro Lenormanti et de Wittei[2]) delineatas imitationes esse tabulae in templo Bacchi positae. Quod etiam Helbigio[3]) videtur veri simile Prellerum[4]) secuto et haece verba facienti: „.... dass die Vasenmaler durch ein gemeinsames Original angeregt wurden und dass dasselbe kein anderes war als das Gemaelde im Dionysos-Tempel.“ Qua in re priusquam de singulis rebus dicam paucis verbis in universum exponam, quatenus magnas tabularum et parietum[5]) picturas imitati sint pictores vasarii. Qua in re universa etiamnunc magna virorum doctorum dissensio est. Primo loco monendum est usque ad haec tempora nullum repertum esse vasculum, cujus

1) pg. 30. —

2) Elite Céramographique I. pl. 41—49 —

3) Untersuchungen ueber die campanische Wandmalerei pg. 256. —

4) Griech. Mythol. I³. pg. 554. —

5) Perscrutationem, utrum picturae in templo Bacchi Athenis (Pausan. I, 20, 2) in tabulis an in parietibus ipsis pictae fuerint, supra pg. 16 sqq. non institui, cum viderem rem nullo modo posse dijudicari. —

pictura tabulae aut parietis picturae imitationem esse plane demonstratum sit. Quae cum ita sint omnis cautio adhibenda est in statuenda necessitudine quae intercedat inter magnas tabulas pictas et picturas in vasculis delineatas. At nemo est, qui neget certas quasdam res megalographiae proprias exstare vel easdem vel similes in vasorum arte figuris ornandorum temporis ejusdem vel potius paullo posterioris. Sunt autem duae res in quibus picturae in vasis cum megalographia congruere possunt: primo loco, quod attinet ad figurarum delineationem, stilus idem est, tum, quod attinet ad argumenta vel res quae repraesentantur, certae quaedam fabulae et argumenta eodem modo in utraque arte aut diliguntur aut omittuntur. Nam quis est, qui nesciat rugas et sinus delineatas esse in vestibus figurarum vascula ornantium a vasculariis eam ob causam, quod imitarentur progressum, quem in arte tabulas pingendi Cimonem Cleonaeum fecisse Plinius[1]) auctor est? Quis porro est qui non consentiat cum iis[2]), qui vasa figuris multorum colorum ornata liberrimi stili atque magnifici in Italia inferiore reperta referunt ad pingendi artem, quam Hellenisticam nominare archaeologi consueverunt. Hic non est locus multorum exemplorum, quibus demonstretur megalographiam tantae fuisse auctoritatis, ut vascularii eam imitati sint, quoniam in universum omnes concedunt rem ita sese habuisse. Requirenti autem magnarum tabularum imitationes accuratissimas in picturis vasariis quae adhuc servatae sunt, id maxime spectandum est eam imitandi

---

1) Hist. naturalis XXXV, 55 hic (Cimon Cleonaeus) catagrapha invenit, hoc est obliquas imagines, et varie formare voltus, respicientis suspicientisve vel despicientis. articulis membra distinxit, venas protulit, praeterque in veste rugas et sinus invenit. —

2) Helbig, Untersuchungen ueber die campan. Wandmalerei. Vorwort pg. IX. —

rationem, quam nostro sermone „copiren" appellamus, pictores vascularios adhibere nullo modo potuisse. Nam saepissime superficies amphorae aut hydriae aut stamni aut paterae aut alius cujuspiam vasculi cum forma tabulae aut parietis, in quo erat pictura, non congruebat. Qua locorum dispositione saepe permutata picturas in vasis ab exemplaribus magnis valde abhorruisse patet. Qua propter duae picturae vasariae, etiamsi eandem locorum figurarumque dispositionem non habeant, tamen ejusdem exemplaris imitationes esse possunt. Atque hac ipsa in re, hoc est in libertate figuras componendi secundum formam vasculi figuris ornandi minime neglectis rebus primariis, opifices Graeci sese praebent verae elegantiae et non mediocris ingenii artifices. Etiamsi igitur imitatores exemplar aliquo modo mutare potuerunt, tamen certae quaedam res semper servandae atque accurate quasi describendae erant. Cum autem totius picturae compositio, ut modo dixi, servari non posset, nonnullae compositiones partes, certi quidam figurarum greges („Gruppen"), certa quaedam schemata exemplaris ab imitatoribus servanda fuerunt. Quamobrem jam multum in perscrutatione profecerimus, si demonstrare potuerimus nonnulla schemata magnarum tabularum in picturis vasariis inveniri eadem. Quae schemata in vasis semper ex magnis picturis esse descripta necesse non est, cum etiam ex memoria expressa esse possint. Atque multo propius abest a vero, si malumus vasariorum memoriae imitationes tribuere, ut statuamus non totas picturas sed singula tantum schemata magnarum picturarum pictores in vasis imitatos esse, quoniam memoria hominum certis quibusdam finibus coercetur. —

Sint sane multae harum repraesentationum Vulcani reducti in vasis rubris figuris ornatis eiusque stili liberioris inter se satis diversae, tamen nonnullae inveniuntur, in

quibus certa quaedam schemata pari modo picta sunt. Schematis ejus quod est commune quattuor vasis nigris figuris ornatis (**B, C, D, BB**) atque duobus rubris stili severioris (**I, K**) et septem rubris stili liberioris (**L, M, N, O, P, S, QQ**) figuris ornatis supra feci mentionem: est enim Bacchus longa veste indutus et attente respiciens ad Vulcanum, qui subsequitur. Aliud autem schema vel potius figurarum compositio quaedam („Gruppirung") in quattuor picturis rubro colore in vasculis delineatis (**M, N, O, P**) mirum in modum simile est; componuntur enim in his vasculis omnino pari modo:

1) Vulcanus hederatus in mulo vel asino ithyphallico sedens —
2) Bacchus longis cincinnis et hedera ornatus, illum praecedens, ad quem attente respicit, manu sinistra thyrsum cantharum dextera tenens —
3) Satyrus barbatus aut tibias aut lyram tenens.

Aliae figurae in nulla harum picturarum (**M, N, O, P**) adjunctae sunt. Qua compositionis constantia commoveor, ut putem magnum exemplar pictores horum vasorum exscripsisse. Superficies enim magnae atque latae sunt: pictum est **M** in stamni, **N** in crateris, **P** in crateris (cotyles?) latere; vasculi **O** forma nota non est, attamen superficies aequa fere et plana videtur fuisse. Vascularii igitur nullis vasculi formae augustiis coerciti erant, ita ut megalographiae opus vel figurarum compositionem („Gruppe") ejus accurate imitari possent et eam quidem magnae picturae compositionem figurarum primariarum (die Hauptgruppe) recognosco in his quattuor picturis vasariis (**M, N, O, P**). Atqui rei conceptio si non gravis et sancta certe severa neque ullo modo ridenda neque comica; pictura ergo illa quae erat Athenis in templo Bacchi exemplar fuisse potest. Quod si statuerimus, pro exscriptis ex tabula habendae sunt duae

figurae primariae et Satyrus tibiis vel lyra canens: hic quidem unus ex thiaso bacchico tabulae delectus, illae autem — quod attinet ad habitum et alterius cum altero compositionem — accurate depictae. — Accedit quod haec conjectura a probabilitate non abhorret. Nam quamquam illa quattuor vasa omnia, ut opinor[1]) in fabricis vernaculis Magnae Graeciae efficta sunt, tamen ab Atticis opificibus in his fabricis ornata esse possunt, qui suis oculis templum Bacchi et picturas ibi positas viderant. Denique opifices in fabricis Italiae inferioris et Siciliae apographis („Copien") uti potuerunt. Quae res cum ita sese habeant, nemo erit qui neget veri simile esse in vasculis **M**, **N**, **O**, **P** imitationes nobis esse servatas tabulae in templo Bacchi positae. Plura autem affirmare equidem nolim. Posito vero illo communi horum vasculorum exemplari praedicanda et laudanda est vasariorum quos artifices nominare possis libertas in imitando magna. Primo loco de Baccho loquar: in hac figura primaria vasa maxime inter se congruunt; in **O** et **N** cantharus a Baccho eodem modo tenetur, in **P** vinum e cantharo defluit. Vulcanus — imberbis in **N**, **P**, barbatus in **O**, **Q** — tenet in omnibus quattuor vasis laeva manu lora (in **O** minus dilucide expressa sunt) dextera autem cantharum (**M**) aut forcipem (**N**) aut malleum (**O**) aut thyrsum (**P**); indutus est exomide et chlamyde superinjecta, quae in alia pictura aliter picta est; in **Q** endromides gerit. Mulus concitatus est in **N** et **O**, in **M** et **P** tardo pede ingreditur. — Satyrus in **M** et **P** duabus tibiis canit, agmen praecedens et tibiarum capsam secum portans, in **N** et **O** lyram septem chordarum gestat, in **N** ante Bacchum, in **O** post Vulcanum ingrediens. Quibus in rebus

1) N in Sicilia, O, P in Italia inferiore reperta sunt, ignotus autem locus, ubi N effossum sit. —

cum **M, N, O, P** decussatim inter se congruant, difficile est ad dijudicandum utrum **N** et **O** ac pariter **P** et **M**, an **N** et **P** ac pariter **O** et **M** majore propinquitate conjuncta sint. —

Ad has quattuor imagines prope accedit vasculum **R** (proxime ad **P**), in quo nova figura adjuncta est: pulchra Baccha cincinnis et hedera ornata quae agmen claudit, dextera manu facem, sinistra oenochoën portans. Vulcanus imberbis, adulescens, dextera thyrsum gerens, sinistra malleum et forcipem, congruit cum Vulcano in **P**; pari modo Satyrus tibiis canens in **R** idem fere est atque Satyrus in **M** et **P**; nova autem schematis species conspicitur in Baccho: vino oneratus est enim ob eamque causam a Satyro bracchiis sustentus; typus ejus — est barbatus, hedera et vitta et longis cincinnis ornatus, longo chitone duplici indutus, thyrsum sinistra manu, dextera cantharum gerens — Baccho in **M, N, O, P** persimilis est, nisi quod deest capitis conversio, quod schema in Vulcanum translatum est, qui in **R** antegreditur, cum in ceteris vasculis (**M, N, O, P**) Bacchum sequatur. — Novum autem schema in **R** repertum — Bacchus ebrius a Satyro sustentus — nullo modo ex tabula in templo Bacchi depromptum vel exscriptum potest esse.[1]) Quamobrem si putamus, re vera nonnullos vasorum pictores tabula illa usos esse exemplari, quattuor solum vasculorum (**M, N, O, P**) habenda est ratio, quibus unum nondum ineditum[2]) (**Q Q**) adnumerandum est. Sunt sane in **Q Q** figurae primariae — Bacchi et Vulcani — non positae altera juxta alteram sed nonnullis thiasi figuris separatae atque altera in adverso altera in

1) cf. ea quae supra pg. 18. de repraesentatione picturae in templo Bacchi dixi. —

2) Heydemannus mihi scripsit velle se delineationem in lucem edere. —

averso vasis latere pictae; quam commutationem pictor vasarius consulto fecisse potest, ut in utroque latere medium teneat figura primaria. Sed si in **QQ** alteram juxta alteram poneremus, eadem fieret compositio atque in **M, N, O, P.** Attamen multae in **QQ** inveniuntur figurae bacchicae: iterum (ut in **N** et **P**) exstat in **QQ** ante Bacchum Satyrus lyram et plectrum gerens, deinde Satyrus duabus tibiis canens (ut in **M** et **P**), in averso latere Baccha facem et oenochoën portans (ut in **R**), praeterea tres Satyri et tres Bacchae. Qua in regione **QQ** effossum sit, statuere non potuerunt homines docti; jam propter similitudines quae vasi **QQ** sunt cum **N, O, P, R,** putandum est in Magna Graecia fictum esse, sed in delineatione nihil equidem conspicio, quod proprium sit stilo fabricarum Italiae inferioris aut Siciliae. Contra est argumentum, quod mihi quidem ostendit fuisse pictorem opificem Atticum: picta enim est in amphorae parte superiore, quam collum appellamus, pugna inter Amazonas et Graecos facta. Quae fabula non solum apud Atticos inventa vel ficta est sed etiam ab artificibus Atticis saepissime repraesentabatur. — Quamobrem etiam aliam conjecturam proferre mihi licet hanc: **QQ** esse imaginem accuratius depictam majoris exemplaris, ex quo **M, N, O, P** excerpta tantum sint. Qua conjectura probata statuendum est exemplar his quinque vasis commune fuisse tabulam Athenis in templo Bacchi eamque ostendisse Bacchum et Vulcanum non conjunctos sed multis figuris segregatos. Verum denuo velim reminiscaris hisce in rebus argumenta omnino certa afferri non posse. Multum enim profecisse nos putare licet, si quid probabile protulerimus. —

III. De picturis vasariis ad exemplar fabularum scaenicarum earumque in theatro repraesentationum compositis.

Omnia quae hoc loco enumeranda sunt vascula in duo discedunt genera: alterum genus est eorum quorum pictores ludos scaenicos ipsos repraesentant, alterum eorum, in quibus ipsius scaenae ludique imitatio aperta nulla invenitur. Attamen utriusque generis fines accurate definiri non possunt, cum saepe statuere haud possimus, utrum pictor ex memoria pinxerit an ludum ipsum imitatus sit. Quarum picturarum **R** est ea, in qua paucissimae res reperiuntur, quae ex scaena depromptae sunt, cum inter omnes constet picturam **A** imaginem ludi scaenici esse accuratam. Cetera vasa medium locum tenent inter **R** et **A**; quae si enumerantur eo modo, ut vasculum, quo major in ejus pictura sit scaenae imitatio, eo propius ad **A** ponatur, hic ordo constituendus est: **R, S, Q, T, U, A.**

Primo loco pauca repetenda sunt de poeseos dramaticae generibus eis, quae huc pertinent, et de eorum repraesentationibus scaenicis. — Fabula Vulcani a Baccho in Olympum reducti in Sicilia Epicharmo, Athenis Achaeo, in Italia inferiore phlyacographis auctoribus poetarum comicorum more in scaena agebatur. Quod attinet ad ludos phlyacographorum a pictoribus vasariis repraesentatos: scurrarum vestitus habitusque significanter exprimendus erat. Qui scurrarum vestitus in uno tantum vasculo (**A**) invenitur, cum desit in ceteris (**Q, R, S, T, U**), quae hanc ipsam ob causam aut ad ludos scaenicos dramatis satyrici Atticorum referenda sunt aut ad comoediam Epicharmeam, sed eo quidem modo, ut vasculariorum picturas non pro certis accuratisque imitationibus repraesentationum scaenicarum habeamus, sed pro artificiis libere effictis praeterquam quod

vasculariorum animum ludorum scaenicorum Siculorum memoria subierat. Fieri autem potuit etiam id, ut lecto dramate — sive comico sive satyrico — commoverentur, ut fabulam pictura vascularia repraesentarent. Quae omnia in universum consideranti Atticorum drama satyricum esse fontem, ex quo hauserint pictores vasarii, mihi videtur veri simillimum, cum praesertim picturae vasariae huc referendae (**Q**, **R**, **T**, **U**) speciem quandam Atticam praebeant. Nihilominus repraesentationes scaenicas fabulae satyricae utrum ipsas imitati sint pictores an more tantum et ratione poetarum dramatum satyricorum pinxerint, in singulis picturis perscrutari debemus. Sed etiam in universum de hac re pauca praemittam.

Dicendum igiter est primum de locis, ubi vascula effossa sint. **Q**, **R**, **S** in Magna Graecia, **T** Nolae repertum est, sed nescimus, ubi **U** effossum sit. Quapropter in Attica ficta et figuris ornata esse vascula non videntur. Quaerentibus autem quid in hisce picturis inveniatur, quod cum Italorum moribus et habitu congruat, nihil nobis occurrit, ut haud abnuere possimus fontem fuisse in Attica, praesertim cum etiam hoc loco mihi in mentem veniat, quod jam supra dixi: in vasorum fabricis vernaculis Italiae inferioris et Siciliae opifices Atticos fuisse, qui fabulas Atticas et ingenium Atticum in Italiam quasi exportassent. — Dijudicantibus autem, utrum picturae vasariae ad imitationem ludorum scaenicorum an more solum et ratione poetarum dramatum satyricorum compositae sint, maxime singularum figurarum cum habitus tum vestes exquirenda sunt.[1]) Ubi enim vestes scaenicae non inveniuntur, statuendum est

---

1) cf. Fr. Wieseler, d. Satyrspiel nach Massgabe eines Vasenbildes. Goettinger Stud. 1847. 2. Abth. pg. 565 sq., express. Mon. dell' Inst. III, 31. cf. Bull. 1837. pg. 85. 1840. pg. 188. Annali XIII. 1847. pg. 301 sqq. (de Witte). —

aut animum pictoris subisse memoriam ludorum scaenicorum aut composuisse vascularium picturam ad suum arbitrium servato more et ratione poetarum dramatum satyricorum. — Sin autem in universum id solum conceditur morem tantum atque rationem dramatum satyricorum in picturis vasculariis posse cerni, id maxime videtur respiciendum etiam alia fuisse spectacula (in quibus Satyri erant chorus) quae artifices imitari atque repraesentare potuerint. Satyrorum enim pompae bacchicae saepissime in bacchanalibus in omnibus Graeciae regionibus volitabant et vagabantur.[1]) Quas pompas bacchicas, cum non solum semper omnibus gratae sed etiam saepissime ante oculos essent Graecorum, artifices Graeci saepissime repraesentaverunt; quamobrem sexcenta effossa sunt vascula omnibus temporibus atque omnibus stili generibus tribuenda, in quibus repraesentationes pompae bacchicae pictae sunt.[2]) Multa ergo schemata quae e ludis scaenicis translata videntur ex ipsa commissatione (*Κῶμος*) deprompta esse possunt; nihilo tamen secius scaenica schemata ea appello, quoniam et comoedia et pariter drama satyricum ab illis commissationibus profecta sunt. Inveniuntur autem schemata scaenica haud raro in vasculis **Q**, **R**, **S**, **T**, **U**, quae jam singula perscrutari incipiam, sed ita tamen, ut ordinem servem hunc: **R**, **S**, **Q**, **T**, **U**, **A**, nam in **A** scenae imitatio reperitur apertissima, in **R** fere nulla. —

Picturae **R** similitudo quaedam est cum **M**, **N**, **O**, **P**, uqae ad tabulam in templo Bacchi supra rettulimus. **R** proxime accedit ad **P**, ubi Bacchus agmen praeit, cum in **R** tertio loco vino ebrius a Satyro sustentetur, quod schema

---

1) cf. O. Mueller, Griech. Lit.-Gesch. II, pg. 28 sq. 31. 38 sqq. 196 sq. —

2) cf. O. Jahn, Einleit. in d. Vasenk. pg. CXCI, CCV sq. —

est hujus picturae unicum, quod ad scaenam referri possit; praeterea nihil est ex quo appareat pictorem vasis **R** imitatum esse res scaenicas, nisi vestis picta Vulcani admodum adulescentis. Simillima est autem vestis Vulcani quam in **P** conspicimus; accedit quod typus dei in **R** idem est atque in picturis vasariis antiquioribus temporibus tribuendis. Eadem dicenda sunt de vase **S**, in quo Bacchus, si respicimus vestitum — longa est vestis interior, cui tunica brevior superinjecta est atque insuper *νέβρις* — persimilis est Baccho in **QQ**. Pariter atque in **M**, **N**, **O**, **P**, **QQ** reperitur in **S** schema Bacchi laeva manu thyrsum dextera cantharum tenentis. Satyrus et Baccha[1]) pulchra veste induta et tympanum manu pulsans veram thiasotarum speciem praebent venuste repraesentatis corporum motibus alacribus, cum barbatus Vulcanus a Satyro sustentus figurae scaenicae speciem praebeat, quamvis exomis[2]) ejus re vera non sit vestis scaenica. Typum ergo in duabus picturis rubris figuris severioris stili certo quodam modo effictum ab artificibus pulchri stili excultum videmus: deest enim in **S** nihil nisi opificum pileus (**I**, **K**). Quod autem deus nudis pedibus ingrediens a Satyro sustentatur, ad claudicationem quidem ejus referri potest, multo autem propius abest a vero Vulcanum ebrium significatum esse, quoniam caput quasi vino oneratum demisit. Mirum vero in modum schema Bacchi ebrii et a Satyro sustenti (**S**, **R**) in Vulcani figuram (**I**, **K**) translatum est. — Si deinde eandem scaenam

---

1) O. Jahnius dicit (Muenchener Vasensammlung n. 776) respicere eam ud Satyrum „mit ernstem Blicke"; quibus verbis equidem assentior siquidem indicare vult Jahnius furorem bacchicum a Bacchae ore abesse, quam in T conspicimus in illa figura, cui *Κωμῳδία* adscriptum est. —

2) O. Jahnius (Vasenbilder pg. 19) hanc vestem mimus accurate appellat „kurzer Aermelchiton." —

in **Q** respicimus actio fere eadem, sed multo alacrior est: Vulcanus ebrius — capite demisso ut in **S** — sustinetur quidem sed non a Satyro sed a Baccho amico[1]) qui bracchio collo ejus circumdato eum cursu fere effuso secum ducit, quamquam ipse sinistra manu thyrso nitatur. Cum vetustiore Bacchi typo congruit in **Q** nihil nisi longi cincinni et promissa barba dei; contra vestis est sola chlamys, qua etiam Vulcanus indutus est, quem recognoscere non possemus, si malleus non esset attributus. Gestus Vulcani, qui manum sinistram et oculos ad coelum laetus tollit, quasi diis dicat: en praeda diu exoptata[2]) vere dramaticus est. Contra non satis mihi constat, sintne Satyri amphoram portantis endromides calcei scenici annon. —

Cum in **R**, **S**, **Q** et **X** pompa bacchica in modum thiasi repraesentata sit, cujus schemata pictores in bacchanalibus videre visaque imitari potuerunt, in pictura vasculi **T** inveniri imitationem accuratiorem ludorum scaenicorum nemo est qui abnuerit. Lenormantus et de Witteus[3]) verba copiosiora faciunt de hac pictura vasaria; sed permultis in rebus erraverunt ac ne id quidem viderunt pictorem vascularium ludum scaenicum imitatum esse, id quod inter omnes archaeologos constat. Sunt enim quattuor figurae vasis **T** inscriptionibus significatae: *ΜΑΡΣΥΑΣ*, *ΚΩΜΩΙΔΙΑ*, *ΔΙΟΝΥΣΟΣ*, *ΗΦΑΙΣΤΟΣ* quibus haud magnam tribuendam esse auctoritatem puto; ipsi Lenormantus et de Witteus dicunt supervacaneas esse inscriptiones, sed non annotant, utrum ab ipso vasculi pictore figuris adjectas esse inscriptiones putent an posterioribus temporibus ab alio opifice. Mihi quidem haec nomina eleganter inscripta

---

1) cf. Pausan. I, 20, 2 *Διόνυσος, μάλιστα γὰρ ἐς τοῦτον πιστὰ ἦν Ἡφαίστῳ.* —

2) Haec bona observatio Itali est interpretis, Andreae de Jorio. -

3) Élite Céramograph. tom. I. pg. 105 sqq. —

suspecta videntur esse, dumtaxat ab ipso vasculario non facta. Praecipue nomini *Κωμῳδία* nullum tribuo momentum, ut me adducere non possit, ut existimem comoediam — Epicharmeam nimirum — picturae vasculariae fontem esse.[1]) Argumento enim comoediarum, quas conscripsit Epicharmus, petita erant e vita moribusque vulgi, neque minus travestiis mythologicis, quae dicuntur, Siculorum errores et vitia illudebantur. Sic in Epicharmi comoedia quae *Ἅφαιστος ἢ Κωμασταί* inscribitur, opificum vinolentia objurgabatur et exagitabatur, cum persona Vulcani opificum ordinem repraesentaret. Quamobrem — quantulacunque sunt quae comperta habemus de scaena et vestibus scaenicis comoediarum Epicharmearum — opinari licet Vulcani personam in illo ludo scaenico opificis speciem praebuisse, qualis in **T** invenitur: exomidem, pileum opificum et malleum gerit. Praeterea autem — excepta inscriptione *ΚΩΜΩΙΔΙΑ* nihil invenitur quo commoveamur, ut picturam vasariam pro imitatione comoediae Epicharmeae habeamus. — Nam in ceterarum figurarum vestitu atque habitu reperiuntur nec schemata scaenica nec vestitus scaenici nisi Bacchi endromides. Quod autem ad universam speciem vasis **T** attinet, Atticam eam esse — ut omnium vasculorum Nolae[2]) repertorum — contendo. Quapropter **T** fictum et figuris ornatum esse videtur ab artifice Attico qui more et ratione poetarum comicorum pinxit sed ita tamen, ut ludum scaenicum ipse componeret. Totum agmen velut in scaena progreditur: nulla persona aliam figuram vestibus vel corpore ne ex parte quidem contegit, ita ut omnes personae plenae et integrae conspici possint. Tum in Baccha quae

---

1) Pari modo ne O. Jahnius quidem (Vasenbilner pg. 19) hac inscriptione de sententia deducitur Achaei poetae drama satyricum fontem fuisse vasculi **T**. —

2) cf. O. Jahn, Einleit. i. d. Vasenk. pg. LVII. —

calicem quasi gaudio triumphans attollit recognoscitur furor bacchicus, quem ne optimus quidem histrio in scaena tam bene repraesentare potuit quam in hoc vasculo pictor penicillo pinxit. Alacri animo ingreditur Baccha, caput divino spiritu inflatum attollit. Tum, ut Jahnii[1]) verbis utar „in seliger Trunkenheit schreitet ihr Dionysos nach.“ Pari modo ebrius demisso capite sequitur amicum Vulcanus[2]) animo nullo modo invito. — Quae cum ita sint, neminem equidem puto negaturum picturam **T** omnium, quae nobis servatae sunt, esse optimam fabulae repraesentationem atque pulcherrimam. —

Contra minore cum arte expressum et delineatum est vasculum **U**, in quo tamen plura schemata scaenica inveniuntur. Sic magna cum arte pictum est quomodo Vulcanum Bacchus suis manibus impellat, ut sequatur. Commissatorem claudicantem[3]) thyrso pulsare Bacchus videtur atque adhortari ne subsistat. Rerum autem scaenicarum imitationes sunt Vulcani endromides et petasus et forceps cum malleo ridendum in modum commutati — aliud enim esse instrumentum quod manibus teneat mihi persuadere non potui. Satyri autem praecedentis subligaculum, ex quo phallus et cauda religata sunt, vestimentum erat, quo histriones ludorum Satyricorum exstructi erant. —

Restat ut ultimo loco commemorem vasculum **A**, cujus

1) Vasenbilder pg. 19. —

2) Gestus Vulcani laeva manu factus significat velle eum niti aliqua re, ne in solum cadat; et paullo post manus Bacchi humero imposita erit. Refutandum igitur quod dicit Jahnius (l. c. pg. 19) „mit der Linken treibt er Dionysos zu rascherem Gange.“ —

3) Quamvis Bluemnerus (de Vulcani in vet. art. mon. figura pg. 24. n. 2.) abnuat, tamen est Vulcanus; petasum enim quod gestat Vulcanus, non est quod miremur, si respicimus vestimenta scaenica imitatum esse pictorem vasarium. —

picturam accuratam praebere repraesentationem ludi scaenici inter omnes archaeologos constat. —

Ex omnibus igitur picturis vasariis majoribus una est cujus fontem poeticum indagare nondum potui (**OO**). Si totius picturae compositionem respicimus, videtur ad numeranda **OO** iis, in quibus (**B**, **C**, **BB**, **CC**, **I**, **K**, **L**) pictores secuti sunt poetas epicos, sin autem rationem habemus schematis, quod in Baccho ebrio et a Satyro sustento conspicitur, ne scaenae quidem imitatio quaedam abnui potest. —

Quibus expositis omnibus apparet nondum omnes picturas vasorum, quas supra enumeravi, ad fontes plane et certo relatas esse. Maxime autem adhibenda est diligentia in perscrutatione tabulae Athenis in templo Bacchi pictae, quam quattuor tantum picturarum vasariarum (**M**, **N**, **O**, **P**) fuisse fontem equidem satis demonstrasse mihi videor. —

Quod autem ad singularum figurarum in vasculis pictarum attinet explicationem, tres tantum sunt et eae mutilatae in vasculo **PP**, quibus nomina omnino probabilia imponere non potui. Pictura enim vasis **PP** inter omnes, quarum ipse vidi delineationes, notabilis est, praesertim cum agmen bacchicum a dextera ad sinistram partem versum sit. —

VITA.

Paullus Ottomar Ricardus **Waentig** natus sum in Lusatiae pago, cui nomen est Gross-Schoenau, die VII mens. Martii anni MDCCCLIII. patre Davide Eduardo et matre Paullina ex gente Korn, quorum prior adhuc superstes est. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis a patre imbutus, quattuordecim annos natus gymnasium adii Zittaviense quod Henrico Kaemmelio rectore etiam nunc floret. Maturitatis testimonio instructus anno MDCCCLXXIII. in academiam Jenensem me contuli; ubi per annum philologis studiis addictus scholis interfui, quas habuerunt viri doctissimi Bursianus, Delbrueckius, Gaedechensius, Nipperdeius, Adolphus et Mauritius Schmidtii, Wittichius. Mense Aprili anni MDCCCLXXIV. Lipsiam transmigravi, ubi per triennium audivi viros clarissimos Curtium, Ecksteinium, Heinzium, Hildebrandium, Langium, Overbeckium, Ritschelium, Schusterum, Springerum, Voigtium, Zarnckium, Zoellnerum. Interfui societatibus philosophis Heinzii et Schusteri, societati grammaticae Curtii, seminario paedagogico Ecksteinii, proseminario philologo Regio; praeterea autem socius ordinarius fui per duo semestria seminarii Germanici Regii Zarnckii, quattuor per semestria seminarii Regii archaeologici Overbeckii. Quibus omnibus viris doctissimis quam maximas gratias nunc habeo atque semper habebo. —
